



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Titvlvs XXVII. De Sententia Et Re Ivdicata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

§. Si post mortem.

PARAPHRASIS.

Si aliqui hæretici decesserint (qui dum viverunt Catholici putabantur, & bona ipsorum à filiis eorum, aut nepotibus, vel quibuscunque etiam extraneis hæredibus Catholicis 40. annis bona fide possessa fuerant) postea molestandi non sunt, tamen si ea bona ad Ecclesiam Romanam pervenire debuissent.

SUMMARIUM.

4. Bona hæretici defuncti, de jure communi Canonico ipso facto, fisco sunt acquisita.
5. Prescribere tamen ea hæredes possunt, sed non nisi cum certis conditionibus hic assignatis.

Not. univ. Si quis in hæresi decesserit, spectato communi jure Canonico, om-

nia eius bona ipso facto censentur acquisita fisco, ita ut à quibuscunque possessoribus re-
peti possint. c. *Cum secundum*. 19. de hæret. in 6. præterquam si hæredes præscripserint, quæ tamen præscriptio raro locum habet propter conditiones hinc requisitas, videlicet quòd defunctus Catholicus reputabatur, quòd hærese eius 40. annis bonâ fide possederit, existimans videlicet defunctum in fide Catholica decessisse, & quòd idem hæres toto eo tempore catholicus fuerit, ita ex communi *Sanchi. explicat. tom. 1. Moral. l. 2. c. 22. n. 37. & seq.*

Porro præscriptio cum his conditionibus, adeo efficax est, ut contra quemcunque etiam Rom. Ecclesiam absque restitutionis in integrum remedio, dicto tempore perficiatur, sicuti Francus notavit in fine huius Capituli.

TITVLVS XXVII.

DE SENTENTIA ET RE IUDICATA.

Repeditis ijs, quæ ad Iudicij processum, probationes, ite & exceptiones spectant, sequitur ut de eo, quòd post conclus. in causa superest agatur, videlicet de sententia Iudicis, quæ, nisi ab ea legitimè appellatum sit, transit in rem iudicatam.

CAPITVLVM I.

Sententia.

SUMMARIUM.

1. Sententia Iudicis ipso jure irrita est, si lata sit contra leges aut canones, licet ab ea appellatum non sit.
2. Potest autem duobus modis ea esse contra jus; vel enim est contra jus respiciens merita causa, vel aliud extrinsecum, v. g. si defectus sit jurisdictionis in iudice &c.
3. Ut ipso jure priori modo irrita sit sententia, debet in ea error, vel repugnantia

cum lege vel canone exprimi, alias ea subsistit & transit in rem iudicatam, si intra decem dies non sit appellatum, nisi notoria sit eius injustitia.

4. Demonstratio seu declaratio, quòd injustè & contra jus iudicatum sit, fieri debet in iudicio appellationis.
5. Præsumptioni pro iudice locus non est, si notorium sit, sententiam esse latam contra jus clarum & indubitatum, secus est, si foret hoc obscurum & DD. variis opinionibus obnoxium.
6. In casu tamen etiam dubij & obscuri juris tenetur iudex probabiliora sequi, & quæ communiter saltem in eo tribunali recepta sunt, cum stylus curiæ jus faciat, si probabilitate nitatur.
7. Condemnatus potest in foro conscientia subterfugere executionem sententia, quam nonit evidenter esse injustam, licet id publice notorium non sit. In foro tamen externo talis non audiretur, sed puniretur,

Ipso

1 Ipso jure irrita est Iudicis sententia, si lata sit contra leges aut Canones, tamen si ab ea appellatum non sit. Ita *Gregor. l. l. 2. Ep. 6.*

Advertendum est ex doctrina *Gloss. Abbat. Alex. & aliorum hic. Gloss. in c. Per tuas, 51. verb. intolerabilem, de sententia excommunicationis*, quod sententia Iudicis duobus modis possit esse contra jus, videlicet vel contra jus respiciens merita causæ vel aliud extrinsecum. Posterior modus varius esse potest, videlicet si Iudex careat jurisdictione. *cap. At si Clerici. 4. de Iudiciis*: ubi dicitur: quod sententia data à Iudice non suo non valet, vel si Iudicis jurisdictione suspensa sit propter excommunicationem eius. *c. Ad probandum. de probationibus*. Item si sententia lata sit contra minorem stantem in Iudicio sine Tutoris, vel Curatoris sui auctoritate. *l. Clarum. 4. C. de auctoritate præstanda*. si sententia lata sit die festo. *c. ult. De feriis*. Si in Ecclesiâ à sæculari Iudice. *cap. 2. De immunitate Ecclesiæ in 6.* in his & similibus casibus sententia ipso jure irrita est, ut nullâ rescissione opus sit, sed solum declaratione. v. g. quod Iudex in excommunicatione fuerit, præterquam si id notorium sit; nam quæ notoria sunt, declaratione non indigent.

3 In priori casu iterum distinguendum, num error seu repugnantia cum lege, vel Canone in sententia exprimitur, hoc casu irrita est ipso jure. *l. 1. ff. qua sententia sine appell. & c. l. Si expressim. 19 ff. de appellationibus*. uti *Gl. exemplum* afferens ait: Si Iudex pronuntiat minorem 14. annis posse testari, non valet sententia ipso jure. An verò error seu repugnantia cum jure non exprimitur; hoc casu, sententia subsistere censetur, atque transire in rem iudicatam, si intra dies 10. appellatum non sit. *c. Cum inter 13. hoc tit. & l. Cum prolati. 32. ff. eodem.*

Excipe si notoria sit iniustitia sententiæ, ipso jure irrita est. *c. Inter 9. hoc tit. & tradit Innoc. in c. Fraternalitas. n. 5. de frigidis. Abb. n. 7. hic. Alex. de Nau. n. 21.*

4 Ratio exceptionis est, quod enim sententia Iudicis, tamen si re ipsa iniusta sit, tamen valere censetur, est propter præsumptio-

nem, quæ esse debet, pro Iudicis sententia, donec demonstratur iniuste, seu contra jura eum iudicasse, talis autem demonstratio ac declaratio fieri debet in iudicio appellationis.

Cæterum, præsumptioni locus non est, si notorium sit, sententiam latam esse contra jus, siue contra legem, cum enim Iudex secundum leges iudicare debeat. *c. In istis. dist. 4.* sequitur, quod iniuste iudicando limites potestatis suæ excedat, ideòque nihil agat. Vide quæ docui *l. 3. tr. 6. de iust. c. 2. n. 10.*

Porrò quæ dicta sunt intelligi debent de jure claro & indubitato, non item si jus obscurum sit, ita ut varix sint DD. opiniones, quemadmodum enim error juris obscuri bonæ fidei vsucapionem inducere potest, ita & Iudicem in iudicando excusare, sicuti hinc *Felin. monet n. 15.* Veruntamen etiam in hoc casu juris dubij aut obscuri Iudex tenetur probabiliora sequi, & quæ communiter saltem in eo tribunali recepta sunt, quandoquidem stylus Curix, dummodò probabilitate nitatur, jus facit, videri possunt quæ docui *l. 1. tr. 1. c. 5.*

Sed neque contra leges iudicasse censetur Iudex, ita ut litem suam faciat, aut sententiæ eius irritæ censeretur, si iudicavit contra legem. v. g. extra vagantem, de qua merito dubitatur, num recepta sit.

Ex dictis sequi videtur, si condemnato manifestum & evidens sit, quod Iudex non rectè seu iniuste & contra leges iudicavit, tamen si id publicè notorium non sit, posse illum in foro conscientix subterfugere sententiæ executionem, dummodò scandalum cesset, sicuti in simili dixi *l. 3. tr. 6. de iust. c. 2. n. 8.* Propterea quod sententia Iudicis obligat propter præsumptionem iustitiæ, quæ præsumptio cessat si oppositum alicui verè manifestum & indubitatum sit; veruntamen in externo foro talis non audiretur, sed puniretur.

CAPITVLVM II.

Iurgantium.

PARAPHRASIS.

Æquitatis pariter & juris rigori congruum
tam 2 est,

est, ut lites judiciales per sententiam definitivam celeriter expediatur. Ita Gregor. l. l. 2. Epist. 18. ad Joann. Ravennat. Archi-Episcopum.

S Y M M A R I V M.

1. Lites judiciales non protrahende, sed celeriter finiende.
2. Notanda tres acceptiones Rigoris juris.
3. Ita acceleranda sunt lites, ut tamen ordo juris requisitus servetur, dilationes necessariae concedantur, & totius causa status recte discutatur.
4. Rescindi debet sententia, si lites definita sit intra tam breve tempus, ut plene discussi non potuerit.
5. Post sententiam latam executio saltem ad decem dies differenda, etiam in criminalibus, quamvis hoc consuetudine non observetur.
6. Adduntur limitationis quinque huius doctrinae.

NOT. Vnic. Lites judiciales protrahi non debent, sed quam fieri potest celeriter fini; ait autem Pontif. id verum esse tum secundum aequitatem, tum secundum juris exactam, seu rigidam examinationem; vult dicere celeritatem in causis expediendis commendandam esse, tum quia id per se aequum est, tum quia in jure scripto expressum reperitur; nam juris rigor hic accipitur sicut in *c. Super. 20. de rescript.* pro eo quod juri consentaneum est, literam eius rigorose sequendo, ut dixi etiam *l. 1. tr. 4. c. 19. principio.* videri etiam potest *gl. inc. ut constituetur. 25. verb. detrahendum.* Cum ait quod rigor eius interdum accipitur pro excessu & quadam austeritate juris ad terrorem incutiendum, & iste rigor temperandus plerumque atque aequitas praefenda: interdum verò rigor juris sumatur pro subtilitate juris, ut in *c. In literis. 5. de restit. spoliatorum.* Ideoque notari hic possunt tres acceptiones juris rigoris.

Porro quod dicitur causas celeriter expediendas esse, intelligi debet, ut tamen interim ordo juris requisitus observetur, & ut

dilationes necessariae concedantur, atque totius causae status recte discutatur sicut colligitur ex *Clement. 2. de verb. signif.* Adeo quidem, ut si tam paruo tempore lites definita sit, intra quod non videatur plene discussi potuisse, ea rescindi debeat secundum *Bar. tol. in l. Prolatam. n. 10. Cod. de sententiis. Abb. & Alexand. in fine huius cap.*

Adde post latam à Judice sententiam expectandum esse saltem diebus decem priusquam executio fiat, ut colligitur ex *Capitulo, Quod ad 16. h. tit.* idque etiam in criminalibus causis observandum esse docet *Bar. tol. in l. Qui ultimo. ff. de panis.* quamvis hoc consuetudine non observetur, cui consuetudini favere videtur *l. Non tantum. 6. ff. de appellationibus.*

Præterea limitationes aliæ adhiberi debent. 1. si consuetudo non permittat appellationem, in causa criminali. 2. Si crimen notorium sit, ita ut appellatio admitti non debeat. 3. Si Reus crimen legitime confessus sit in iudicio. 4. Si vehementissima & apertissima adsint testimonia, aliaque probationes, ut Reus non nisi pernicaciter & impudenter negare possit: nam in dictis casibus appellatio ordinariè non recipitur. 5. Si propter scandalum vitandum executio differri non possit. videri potest *Abb. hic. n. 3. Felin. n. 3.*

CAPITVLVM III.

Non potest.

P A R A P H R A S I S.

Episcopus deponendus non est, nisi Episcopi congregati aduersus eum sententiam concordem ferant; ex *Gregor. l. 2. c. 47. epist. 8. Registri.*

S Y M M A R I V M.

1. Iuxta antiquos canones aduersus Clericos in Sacris, cognosci non debuit causa criminalis & digna depositione, nisi in Synodo vel conventu Episcoporum, & praesentia duodecim Episcoporum in causa Episcopi; Presbyteri 6. Diaconi 3.

2. Iuxta

2. *Juxta Tridentinum Concilium quæ hodie
modus in simili causa procedendi præscri-
ptus sit.*

positionem merentur, Sedi Apostolicæ Rom.
referuatæ sint. Sicuti docui l. 1. tract. 4. c.
6. & n. 7. & not. *Suar. de censur. D. 30. S. 1.*

CAPITVLVM IV.

Ea quæ.

PARAPHRASIS.

Leo I. in Epistola 87. aliàs 91. ad Episco-
pos per Casateam Mauritaniam, quæ in-
cipit: *Cùm de ordinationibus sacerdo-*
tum: in fine scribit, quòd causæ ad statum
Ecclesiarum & Episcoporum concor-
diam pertinentes si in Synodo Episcopali
iuxta Ecclesiasticum morem iustè & ra-
tionaliter definitæ sint, ad Sedem Apo-
stolicam cum plena relatione mitti debeant,
vt etiam Rom. Pontif. accedente senten-
tiâ roborentur.

SUMMARIUM.

1. *Curandum vt omnes graues cause ad Se-
dem Apostolicam referantur cognoscende
vel confirmandæ.*

NOT. Vnic. Ex hoc Capitulo ostendi
non potest nisi vniuersalis cura, quam
Romana Ecclesia erga omnes alias Ecclesias
gerere debet, ideòque imperare potest, vt
causæ, quæ vel secundùm se vel secundùm
temporum & locorum circumstantias gra-
ues sunt, ad Apostolicam Sedem referantur
cognoscendæ, aut confirmandæ.

CAPITVLVM V.

De Cætero.

PARAPHRASIS.

Pontifex in aliqua causa sententiam tulit
contra Titium, postea eam commisit Ca-
jo executioni mandandam, coram hoc
executore excipit Titius, fraude interue-
niente sententiam latam fuisse; hoc casu
Executor non debet de toto negotio co-
gnoscere, sed quæstionem, quæ incidit ad
Sedem Apostolicam deferre.

m m m 3

SYM-

1. **A**duertendum est, quòd secundùm anti-
quos Canones aduersus Clericum in
sacris causa criminalis & digna depositione
cognosci non debuerit, nisi in Synodo, seu
conuentu Episcoporum, ita vt Episcopo-
rum 12. præsentia necessaria esset in causa
Episcopi, sex in causa Presbyteri, triû in causa
Diaconi. c. *Si quis tumidus. 3. & c. Felix. 4.
13. 9. 7.* & hæc eadem tot Episcoporum præ-
sentia seu assistentia necessaria dicitur c. 2. *de
panis. in 6.* saltem in sententia ac respectiua
Clerici in sacris constituti depositione, ita vt
6. Episcopi conuocandi essent ad Presbyte-
ri condemnatione, tres verò ad condemna-
tionem Diaconi, vel Sub-Diaconi, præter-
quam quòd in condemnatione ob crimen
hæresis loco Episcoporum alios Prælatos,
vel personas Ecclesiasticas suæ diocesis pe-
ritas proprius Episcopus conuocare possit.
c. 1. *de hæret. in 6.*

2. At verò *Concil. Trid. sess. 13. c. 4. de re-
form.* constituit, vt Episcopus proprius per
se vel vicarium suum assistentibus totidem
locorum Abbatibus, vsum matris ac baculi
habentibus, aut si ii in ciuitate, vel diocesi
reperiri, vel commodè interesse non possint,
aliis Ecclesiasticis granibus, juris scientiâ
præditis & in dignitate Ecclesiasticâ consti-
tutis personis (qui tanquam Assessores &
Judices adhibeantur) procedere possit ad
Clerici in sacris depositionem respectiuam;
at verò ipsam solennem degradationem so-
lus quidam Episcopus facere potest, & per
se ipsum debet, non per Vicarium, nisi &
ipse consecratus Episcopus sit, cùm hæc so-
lennis degradatio ac veluti deordinatio a-
ctus ordinis Episcopalis esse censeatur, qui
alicui non Episcopo committi non potest.
c. *Aqua. de consecratione Ecclesia.* Verunta-
men de Episcopi degradatione, aut deposi-
tione nihil in *Trident. Concil. cit. c. 4. decre-*
tum fuit. sicuti nec in c. 2. *de panis. in 6.* pro-
pterea quòd secundùm Canones postero-
res Episcoporum causæ criminales, quæ de-

S V M M A R I V M.

1. Coram executore sententia potest à parte opponi exceptio fraudis, quam si cognoverit non esse frivolum, executionem suspendet, & questionem ad superiorem remittet.
2. Ampliatur hæc doctrina ad omnes alias exceptiones, quæ post sententiam latam opponi possunt.
3. De his exceptionibus executor cognoscet, ut sciat an executione supersedere debeat, non autem ut questionem definiat: quòd solùm potest iudex Ordinarius, vel executor mixtus, habens potestatem etiam cognoscendi.
4. Executor merus, sententiam, quam etiam iniustam novit, exequi debet, postquam in rem iudicatam transit.
5. Excipe primò causas criminales capitales, ubi agitur de vitâ, aut corporis integritate.
5. Excipe secundo, si sententia non tantùm iniusta, sed etiam indubitata nulla sit.
7. Potest iudex parti, pro qua lata est sententia, executionem committere, v. g. ut propria auctoritate ingrediatur possessionem.
8. Hæc doctrina habet duas limitationes.

NOT. Vnic. Si Iudex latæ sententiæ executionem alicui commisit, pars, contra quam executio faciendâ est, opponere potest exceptionem fraudis, videlicet: per falsos testes sententiam latam esse, aut instrumenta falsa; quo casu executor de hac incidente questione saltem summarie cognoscere potest ad hoc, ut intelligat, num exceptio frivola & solùm ad tardandam, vel impediendam executionem facta sit, idcircoque reiici debeat, an verò ratione vera aut verisimili nixa sit, ita ut executione super sedere oporteat, & questionem ad superiorem, qui commisit, remittere. Ita *Innoc. hic. n. 2. gl. super Gratian. in c. Dicenti. 16. verb. cognoscatur. 25. q. 2. Bart. in l. à Dino. n. 9. ff. de re iudicata. Abbas. hic. n. 3. & 9.* Et amplianda est doctrina, quòd idem sentiendum sit de omnibus aliis exceptionibus, quæ post latam sententiam opponi possunt, siue id accidat ob naturam causæ. v. g. matrimonialis non transeuntis in rem iudicatam, siue

ob privilegium personæ, v. g. militis, cui peremptorias exceptiones ob ignorantiam Iuris non opponenti ante sententiam succurritur, ut postea etiam audiatur *l. 1. Cod. de Juris & falsi ignorantia*, vel denique id fiat ob naturam exceptionis, quæ semper opponi potest, videlicet nullitatis, falsitatis instrumentorum &c.

Super talibus itaque exceptionibus executor cognoscet, ut appareat, num executione supersedere debeat, donec is, qui commisit, plenior de iis cognitionem assumat; non autem ut ipsemet executor questionem definiat, alioquin enim absurdum sequeretur, quòd inferior superioris Iudicis sententiam rescindere possit, sicuti *Bart. notavit cit. n. 9. & consentit lex. Si prator. 75. ff. de Iudiciis.*

Sed alia ratio est, si Iudex ordinarius exequi debeat sententiam Arbitri, aut delegati sui exequendi potestatem non habentis *juxta cis. l. à Dino. & quotiescunque ad Iudicem pro executione recurritur tanquam ad eum, qui maiorem, aut superiorem Iurisdictionem habet, is cognoscere potest de exceptionibus, etiam ut negationem definiat ad eò quidem, ut etiam super nullitate prioris sententiæ, aut per modum restitutionis in integrum cognoscere queat. Argumento. c. 3. de off. ordinar. & tradit hic *Abb. Alex. n. 8.**

Præterea advertendum, quòd *text. c. nostri* loquatur de executore mixto, cui hoc ipso cognitio aliqua commissa censetur, quia exceptiones, quæ opponi possent contra sententiæ executionem, coram Iudice committente propositæ & examinatæ non fuerunt, sin autem ponamus super ipsa quoque executione faciendâ plenam cognitionem præmissam fuisse, tunc executor sententiæ censeretur debet merus, cui nulla omnino cognitio competit, sed exequendi tantùm necessitas incumbit, uti notavit *Bart. in cit. l. à Dino. n. 10. & ad eò quidem id verum est, ut tamen sciatur executor sententiam iniustam esse, exequi eam debeat, postquam in rem iudicatam transit, ita ut jus inter partes ortum sit.*

Exci-

Excipiendæ tamen 1. sunt causæ criminales, quibus agitur de vita aut corporis integritate, in his arbitror, executorem parere non posse, si sciat Reum reipsa innocentem, & ex falsis allegationibus condemnatum fuisse. uti docui l. 3. tract. 6. c. 2. q. 1. in fine.

2. Excipiendû, Si sententia lata non tantum iniusta sit, sed etiam indubitate nulla siue irrita, tunc executioni mandari non debet, cum sententia nulla, non sit sententia, nec transferit in rem iudicatam, uti habetur in l. 4. ff. de re iudicata. *condemnatum accipere debemus eum, qui rite condemnatus est, ut sententia valeat; & notat Abb. hic n. 5.*

Porro tamen si executor merus, seu cui ut ministro ac nuntio executio mandata est, nullam cognitionem causæ habeat, idè que si ea non præcesserit, & aliquid coram ipso à partibus probabiliter opponatur, executione supersedere debeat; ac similiter, si iustus fuerit aliquem in possessionem mittere, & eam vacuam non reperiat, aut possessor absens sit, vel præfens recedere nolit, non possit eum exturbare, sicut *Innoc. notat in c. Cum olim. 2. n. 2. de privilegiis. Argumento l. ult. Cod. Si per vim.* attamen si sententia præsentibus partibus lata sit super possessione alteri tradenda, tunc elapso decennio executor merus, seu nuntius, qui missus est ad possessionem tradendam, mandatum exequi poterit, etiã absente, aut repugnante possessore, dummodò scandalum aut maioris mali periculum non timeatur. & ita docet *Innoc. citato loco. Abb. hic n. 7. Alex n. 13.* & consentit *Gl. in c. ult. §. Caterum. verb. Commissum. de off. delegati,* quod merus executor coërcitionem habeat, (videlicet facti) ita ut impedientes repellere possit, quod verò addit de excommunicatione infligenda, id nisi commissum sit, non videtur esse verum, cum ea jurisdictionem requirat, quam executor merus non habet.

7. Restat quæstio utrum Iudex parti, pro qua lata est sententia, executionem committere possit, ut v. g. propria auctoritate possessionem ingrediatur, affirmat *Gl. in l. Meminerint. 6. verb. Sed quid si Iudex. C. un.*

de vi. Quia etiam per partium conventionem ita constitui potest. l. 3. C. de pignoribus. *juncta Gl. recepta. verb. Debent.* & vera est responsio cum duabus limitationibus. Prima est, dummodò possessionem ex pacto, aut Iudicis concessione capere volens, resistentem non reperiat pristinum possessorem, aliàs ob scandalum vitandum abstinere debet, & Iudicis auctoritate implorare, *juxta Reg. 136. ff. Non est singulis concedendum, quod per Magistratum publicè potest fieri, ne occasio sit maioris tumultus faciendi.*

Altera est: Dummodò causæ cognitio necessaria non sit; nam nemo in propria causa Iudex esse potest. l. vn. Cod. *Ne quis in propria causa, & tradit Abbas hic n. 11.*

Veruntamen si debitor constituisset, se precario possidere velle rem loco creditoris, ita ut jurisdictione possessio translata fuerit (*juxta l. Certè. 6. ff. de precario, is qui rogavit, ut precario in fundo moretur, non possidet, sed possessio apud eum, qui concessit, remanet*) hoc casu creditor precario possidentem deiciendo, vim inferre non censetur, sed possessionem suam contra violentum detentorem potius defendere, sicut *Bart. notavit in cit. l. 3. de pignoribus.* & sequitur hinc *Abbas n. 15.*

CAPITVLVM VI.

Cum aliquibus.

PARAPHRASIS.

Si res quoad dominium, vel quasi dominium petitori adjudicata fuerit, ad executionem sententiæ non sufficit, si condemnatus pignora dare velit, sed requiritur, ut ipsam possessionem transferat.

SUMMARIUM.

1. *Condemnatus actione reali compelli debet ad rei unã cum fructibus possessionem tradendam, & quidem in continenti, si sententiam Iudicis accepit, vel post decem dies, si appellatum non sit.*
2. *Limitatur.*
3. *In personalibus debitis condemnato quadri-mestri tempore ad solutionem conceditur.*

4. Quo

4. *Quo modo ab executore possessio rei tradenda ex primo aut secundo iudicis decreto.*

NOT. Vn. Condemnatus actione reali compelli debet, ad rei vnà cum fructibus possessionem tradendam, & quidem in continenti, si sententiam Iudicis acceptauit, siue pariturum se dixit, alioquin post decem dies, si appellatum non sit, sicuti *Gl. tradit in c. Quarenti. 26. verb. Quadrimestre. de off. delegati. gl. Institut. de off. Iud. §. Etsi in rem. verb. in presenti*, neque censendus est soluere, aut rem restituere, qui pignora pro solutione offert, & accommodari hoc potest, quod habetur in *c. 1. De eo, qui mittitur, & c.* quòd voluntas sola non sufficit, ubi factum requiritur.

Excipe. Si possessor statim restituere non possit, tempus ei determinabitur, intra quod restitutio fieri debeat, ita tamen, vt interim caueat per fidei iussores aut pignora, secundùm *Gloss. marginal. in cit. c. quarenti*. Porro in personalibus debitis condemnato, quadrimestre tempus ad solutionem concedi, dictum est in *eod. c. quarenti*.

Alium sed minùs conuenientem intellectum huius Capituli affert *gl. hic.* quod ad prætorium pignus non sufficiat, si actor verbo tenus mittatur in possessionem rerum propter contumaciam Rei conuenti, sed opus sit vt actu tradatur ei possessio, causa custodia, sicuti dixi *ist. De eo, qui mittitur & c. & l. 3. tract. 4. de Just. c. 3. n. 2.* & habetur in *l. Non est. 26. ff. de pignor. actione*. Sciendum tamen est, ubi iussu Magistratùs pignus constituitur, non aliàs constitui, nisi ventum fuerit in possessionem, ubi *gl.* monet in hoc differre pignus prætorium à conuentionali, quia pignus conuentionale seu hypotheca solà conuentione, absque traditione constitui potest *l. 1. ff. eod.*

Corollarium. Si Nuntius seu executor missus sit ad possessionem rei tradendam ex 1. aut 2. Iudicis decreto, non sufficit, quòd in presentia rei seu solo aspectu tradere velit possessionem. Sicuti notat Durandus communiter receptus in speculo *l. 2. de 1. decret.*

§. quinto. Cùm enim nuntius possessionem, aut administrationem rei non habeat, idèd non potest eam absque corporali apprehensione transferre, si tamen impedimentum obster, quo minùs ex Iudicis auctoritate possessio transferatur, tunc jura subueniunt, vt etiam solà iussione, seu verbo possessio ficta transferri queat, maximè in presentia & conspectu rei, sicuti *hic Felin. tradit. n. 5.* Quòd possessio habeatur pro accepta, seu acquisita, quando in conspectu rei traditur oculis, vel etiam extra conspectum ab executore non audente, vel non valente se appropinquare ex iusta causa. Adiuuat etiam plurimum ad hoc, si tradens ita possessionem, sit saltem in possessione juris conferendi. v. g. beneficium, officium, feudum, sicuti *Alexand. hic. not. n. 26.* vide quæ docui *l. 3. tr. 1. de just. c. 7. n. 2. v. 4.*

CAPITVLVM VII.

Lator.

PARAPHRASIS.

Titius Caiam verbis etiam de presentia desponsauit, & matrimonium consummauit, postea cùm inter ipsos scandalum, aut contentio orta esset, vir mulieri debitum coniugij subtraxit; quamobrem mulieris consanguinei offensi, matrimonium accusare aggressi sunt, dicentes: quòd Titius eam in vitam, renitentem, & secundùm ætatem matrimonio ineptã duxisset. Tunc Titius cùm vitam dissolutam desideraret, contentus fuit, vt matrimonij separatio fieret, sed postea (ipso met viro, vt putatur turpitudinem & inconstantiam suam confitente) propositum erat, separationem rationabiliter factam non esse, ea propter Alex. III. mandat à se delegatis Iudicibus, si eis constiterit, Ecclesiam in ea separatione deceptam fuisse, vt ipsos ad coniugalem cohabitationem compellant, eò quòd matrimonia canonicè contracta, leuiter dissolui non debeant.

SUMMARIUM.

1. Sententia lata contra matrimonium non

vanis

transit in rem iudicatam. Vnde agi iterum potest nouo petito iudicii processu, ad redintegrationem matrimonij.

2. *Si appellatio non interuenit, presumptio est pro iustitia sententia, & legitimo eius processu, si interuenit, elidit presumptionem.*
3. *Nec sententia pro valore matrimonij transit in rem iudicatam, sed potest adhuc oppugnari tanquam laborans impedimento dirimente.*

NOt. vnic. Sententia lata contra matrimonium non transit in rem iudicatam, sicuti infra etiam dicitur. *c. Tenor. & c. Consanguinei.* quare agi iterum potest nouo petito iudicii processu ad redintegrationem matrimonij, non obstante, quod à lata sententia intra 10. dies appellatum non fuerit; refert tamen, vtrum appellatio interueniat, nec ne; si non interuenit, presumptio est pro iustitia sententiæ & legitimo processu eius, ita vt sententiam oppugnare volens, probationes afferre debeat, sicuti ex hoc Capitulo constat, & tradit *Ioan. And. in c. Tenor. n. 1. b. tit. Alexand. hic n. 11. Abb. n. 3.* vbi ait: quod afferenti errorem commissum, probatio incumbat, si verò appellatum sit, tunc appellatio censetur elidere presumptionem, quæ pro lata sententia est, eò quod appellatio vim sententiæ debilitet, sicuti hîc monet *Alexand.*

Simili quoque ratione dicendum, quod sententia pro valore matrimonij non transeat in rem iudicatam, sed nihilominus oppugnari posse tanquam laborans impedimento dirimente, cui partes renunciare seu illud consensu suo supplere non possunt, v. g. si sint consanguinei, affines, impotentes, & ita not. *Gloss. hic. verb. permanere.*

CAPITULUM VIII.

Cùm causa.

PARAPHRASIS.

Archipresbyter seu Diaconus ruralis vendidit domum Ecclesiæ absq; consensu Ca-

pituli, quibusdam laicis, qui proinde domum sibi adiudicari ac tradi petierunt coram Sedis Apostolicæ Legato, pro defensione eiusdem domus nomine Capituli comparente quodam Canonico, is à sententia Legati appellauit ad Pontificem; Legatus appellanti temporis terminum constituit, intra quem iter arripere ad Sedem Apostolicam, sed quia ipse intra hoc tempus ad appellationem prosequendam sibi præfixum iter non arripuit, idè Legatus in causa processit, & iuxta ciuitatis Veronenfis consuetudinem laicis domum adiudicauit.

Cùm autem ab hac Legati sententia Romæ iterum appellatum esset, & Brixienf. Episcopus super eadem delegatus; is prætextu consuetudinis, posthabitâ formâ Canonum, iterum aduersus Capitulum pro laicis sententiam tulit. Verùm Alexand. III. considerans, quod licet consuetudinis non parua auctoritas sit, non tamen veritati, aut legi præiudicare possit, idè latam sententiam retractat, & Canonicos ab impetitione laicorum absoluens ipsis & Ecclesiæ eorum domum adiudicat.

S V M M A R I V M.

1. *Iudex appellationis, si pro appellante in causa dominij, vel quasi decernat non tantum pronuntiabit male iudicatum & bene appellatum fuisse, sed etiam eidem rem & jus adiudicabit, modò super eo lis contestata fuerit.*
2. *Consuetudo irrationabilis est, nec legitime præscripta, per quam introductum contenditur, vt alienatio bonorum Ecclesiasticorum valeat absque solemnitate iure canonico requisitâ.*
3. *Consuetudo non potest preualere legi resistenti seu prohibenti eam introduci.*

NOt. I. Si Reus conventus litem eo modo contestatus fuit, quod jus dominij, aut quasi dominij ad ipsum pertineat, probationesque attulit, atque post latam sententiam appellauit, tunc Iudex appellationis,

n n n

nis,

nis, si pro appellante decernat, non tantum pronuntiabit male iudicatum & bene appellatum fuisse, sed insuper etiam jus adiudicabit possessori, qui se Dominum, aut quasi Dominum probavit, ita *Abb. hic. n. 7.* nam Iudex appellationis cum subrogetur Iudici à quo appellatum, debet reformare eius sententiam, seu ita iudicare, sicuti ille iudicare debuisset, *argumento cap. Raynutius 16. & cap. Raynaldus 18. de testamentis*, atque in casu huius Capituli, Iudex à quo, non tantum absolvere debuisset Capitulum ab impetitione laicorum, sed etiam eidem rem, seu jus adiudicare, dummodo super hoc lis etiam contestata fuerit, *vt. Felin. hic. notat colum. 1.*

2. Procedit autem hoc notandum secundum intellectum huius Capituli à pluribus approbatum, quod laici fuerint actores, Capitulum autem non tantum negarit ratione venditionis absque solennitate facta, domum debitam esse laicis, sed insuper petierit domum illam declarari à Iudice de jure ipsius capitulari esse.

Not. II. Consuetudo laicorum non censetur rationalis & legitime præscripta, per quam introductum esse contenditur, vt alienatio bonorum Ecclesiasticorum valeat absque solennitate jure Canon. requisita, ita *gloss. hic. verb. promulgavit, & verb. pra-iudicat. Gloss. in Clem. 2. verb. consentiente*, de rebus Ecclesie non alienandis. ubi ait: non valere consuetudinem, quod Prælatus alienet rem Ecclesiasticam sine consensu Capituli. *Ioan. Andr. hic in fin. & in c. Nulli. n. 5. de rebus Ecclesie non alienand.* Et esse communem doctrinam ait *Alexand. hic n. 21. & fuse eam tractat Felin. hic. n. 11.* Ratio est, quia consuetudo, quæ Ecclesiis damnosa est, tanquam irrationabilis & Canonibus contraria reprobatur, *cap. 1. De consuetudine*, atque consuetudo, per quã solennitates jure requisitæ ad alienationem rerum Ecclesiasticarum tolluntur, merito damnosa Ecclesiis censetur. Ergo.

Quæres. Quomodo intelligi debet, quod dicitur in hoc capite. consuetudinem non posse prævalere legi, cum tamen consue-

tudo frequenter sit abrogatoria legis scriptæ.

Respondeo. Sensus est, quod consuetudo non possit prævalere legi resistenti, seu prohibenti eam introduci, propterea quod irrationabilis & bono publico noxia iudicetur. Vide quæ docui *l. 1. tr. 4. c. 24. n. 4.*

CAPITVLVM IX.

Inter.

PARAPHRASIS.

Si causa aliqua iudici delegato commissa sit remotâ appellatione, isque sententiam iniquam ferat, rescindi debet, neque seruanda est, si iniquitatem manifestam contineat.

SUMMARIVM.

1. Admittitur appellatio, & rescindenda est sententia iniqua, licet causa fuerit appellatione remotâ commissa.
2. Contra sententiam notoriè iniustam, latam à iudice cui causa commissa est remota appellatione, agi potest per viam nullitatis.
3. Clausula; remota appellatione, tollit remedium appellationis, non autem nullitatis.

NOT. I. Si causa commissa sit, remotâ appellatione, & superior, qui commisit, existimet, sententiam iniquam latam esse, poterit non obstante illâ clausulâ appellationem recipere & sententiam rescindere. Quia licet clausula: *appellatione remota*, operetur id, vt Iudex à quo, appellationi deferre non cogatur, sed sententiam exequi possit (nisi appellatum sit ex causa in jure expressa *argumento. c. Pastoral. 28. §. Præterea. de off. delegati.* vel nisi appellatum sit contra sententiam, quæ manifestam continet iniquitatem, juxta *gl. in c. Ex conquestione. verb. post appellationem. de restitutione spoliatorum*), tamen Iudex, qui causam commisit, nequaquam impeditus est, quominus appellationem recipere, & de iustitiâ sententiæ prioris cognoscere, eamque rescindere possit. *c. Pastoral. 23. de appell. & legi potest. Vi debitus. 59. eodem tit.*

Not.

2 Not. II. Si causa alicui Iudici commissa sit, remota appellatione, isque sententiam notorie iniustam ferat, vel errorem in ipsa sententia exprimat, tali casu contra sententiam agi potest per viam nullitatis, idque in textu cap. significari videtur cum dicitur: quod condemnatus tali sententia stare non teneatur, cum ipso iure irrita sit *c. 1. hoc. tit.*

3 Corollarium. Clausula ea, remota appellatione non excludit viam nullitatis, cum ea nunquam exclusa censeatur etiam post latam sententiam, accedit quod dicta clausula opponitur ad tollendum remedium appellationis, idem extendi non debet ad remedium nullitatis, cum hæc remedia diuersa sint ait *Alex. hic. n. 4.* & colligitur ex *c. Licet. 14. de sententia excommunicationis in 6.*

CAPITVLVM X.

Tenor.

PARAPHRASIS.

Inter R. & M. controuersia erat circa matrimonium, num inter eos contractum fuerit, quæ causa Theatino Episcopo à Sede Apostolica commissa fuit, is virum à petitione mulieris, dum illa absens esset, absoluit, hoc cum intellexisset mulier, à Pontifice impetrauit, vt alteri Iudici committeret, qui causam cognosceret ac definiret, iste Iudex citauit virum, qui infirmitatem præterens comparere intermisit, & nocte insequente aliam sibi uxorem copulauit, ea propter Iudex delegatus in eum excommunicationis sententiam promulgauit, postea verò se sistens eidem Iudici, absolutionem ab eo obtinuit, exhibuitque insuper literas Episcopi Theatini, ex quibus apparebat ipsum sententialiter à mulieris impetitione absolutum fuisse. Veruntamen quia mulier testes offerebat ad probandum, quibus dictus vir ipsam annulo dato publicè subarrhasset, dubitabat Iudex delegatus quid sibi agendum esset; Respondet Clem. III. quod non obstante absolutione illicita, quam Episcopus con-

tulit, in causa procedere, & viro sub excommunicationis pœnâ severè interdiciere debeat, ne ad eam, quam super induxit, accedat, priusquam causa decisa fuerit.

SUMMARIVM.

1. Infirmitas corporis vera & grauis excusat citatum à contumacia, nisi exercuerit actum non facile consistentem cum graui infirmitate. Qui tamen nihilominus ad euitandam pœnam contumacia audiendus erit, si probare voluerit se verè impeditum fuisse per infirmitatem corporis.
2. Subarrhatio publicè facta per annulū, olim introducebat præsumptionem matrimonii, hodie iudicatur matrimonium si in præsentia parochi & testiū, & si de eodem tractatus accedat, contrahendo verbis de præsentia.
3. Si subarrhationem antecedit tractatus sponsalium aut manus spontanea oblatio, intro ducit præsumptionem sponsalium.
4. Ad redintegrationem matrimonii male separati, quilibet è populo agere potest.

NOT. I. Licet corporis infirmitas, si vera & grauis sit, citatum excuset à contumacia. *l. Quæsitum. 60. ff. de re iudicata.* tamen hæc excusatio infirmitatis tollitur, si ille exercuit actum non facile consistentem cum graui infirmitate, nihilominus etiam hoc casu ad euitandam pœnam contumacia, audienda erit pars, quæ comparere intermisit, si probare voluerit (v.g. Medicorum testimonio *l. Semel. 6. Cod. de re militari. libro. 12.*) se verè impeditum fuisse per ægritudinem, quo minùs compareret. Ita *gl. hic verb. infirmitate. & verb. promulgasti;* Et applicari hæc possunt etiam ad Canonicorum absentiam à choro propter infirmitatem.

Not. II. Subarrhatio, quæ publicè facta est per anulum olim introducebat præsumptionem matrimonii, seu desponsationis de præsentia, vti docet *gl. in c. vlt. verb. subarrhauit. de desponsatione impuberum.* imò etiam hodie si in præsentia Parochi & testiū tractatus antecedit de matrimonio

verbis de presenti contrahendo, & annuli traditio & acceptio mox secuta sit, iudicabitur Matrimonium, cum non inter sit verbis ne, an facto consensus exprimat. *l. 5. ff. Rem ratam haberi.* vbi dicitur non tantum verbis ratum haberi posse, sed etiam actu, & notauit *Gloss. in c. Tua. verb. verba. de sponsalibus. Sanchez. l. 1. de matrimon. D. 22. n. 3.*

3. Sin autem anteceffit duntaxat tractatus sponsaliorum de futuro, tunc annuli traditio, aut manus spontanea oblatio inducet presumptionem sponsaliorum, secundum doctrinam Abbatis in *c. Cum virum. n. 3. de statu regularium.* quod tacens habetur pro consentiente, si agatur de obligatione personæ; & si interueniat actus positivus, qui eam significare possit; secus autem est, si sola taciturnitas adsit, vt si vir feminae manum capiens dicat: do tibi fidem de matrimonio contrahendo & mulier taceat, non est sufficiens signum sponsaliorum ait *Sanch. cit. D. 22. n. 6.*

Admoner porrò Innoc. hic non constare, vtrum mulier citata ad Episcopum Theatinum contumax fuerit, nec ne; si contumax non fuerat, sententia Iudicis irrita fuit, sin autem contumax, tunc in causa ista Matrimonii non transeunte in rem iudicatam iterum audienda est mulier, saltem allatâ probabili causâ, cur noua Iudicii instantia inchoanda & probationes admittendæ sint, imò hæc sufficiens causa esse debet, quod pars contumax, cum condemnata erat, non fuerit præsens, vt se defendere posset.

4. Addit hic Abbas. *n. 7. ex Hostiens. Gail. l. 1. obseru. 112. n. 4. & docent DD. in c. Videtur. tit. qui Matrimonium accusare possunt.* quod ad redintegrationem Matrimonii male separati quilibet è populo agere possit, propter Sacramenti honorem & peccatum vitandum, quemadmodum & quilibet ad accusandum matrimonium seu impedimentum eius dirimens denuntiandum admitti debet. *c. vit. de Clau-*

dest. despons.

* *

CAPITVLVM XI

Consanguinei.

PARAPHRASIS.

Vir & Mulier matrimonium contraxerunt; quod postea accusarunt consanguinei testibus probantes, inter illos compaternitatis impedimentum intercedere, quapropter diuortii sententia in eosdem lata fuit, postea verò Mulier confessa fuit Episcopo loci, quod commater Viri non fuit ante diuortium institutum, quamuis deinde compaternitatem cum eodem contraxerit, ac postea ad secundas nuptias transierit. Ad hunc casum respondet Clem. III. propter mulieris confessionem non recedendum esse à sententia Ecclesiæ rationabiliter promulgata, donec legitimis contrariis probationibus destruat.

SUMMARIUM.

1. Sententia lata in causa matrimonij ad eius separationem propter impedimentum dirimens non transit in rem iudicatam.
2. Ordinariè loquendo si intra decem dies contra sententiam appellatum non sit, causa manet iudicata, decisa & irretactabilis.
3. Sunt aliqua causa in quibus non interpositâ appellatione per decendum noua iudicii instantia postulari potest.
4. Et talis est causa matrimonialis.
5. Sententia peccati nutritiua nunquam transit in rem iudicatam.
6. Sententia diuortij lata in causa matrimoniali ad solam vnius, vel vtriusque coniugis asserentis contrarium non retractatur.
7. Post sententiam diuortij, si alia iudicii instantia petatur, alii testes producendi sunt.

NOT. I. Sententia lata in causa matrimonij ad eius separationem propter impedimentum dirimens non transit in rem iudicatam.

2. Pro intellectu adverte, quod ordinariè loquendo, si contra sententiam intra 10. dies appellatum non sit, ea causam iudicatam.

tam decisam & irtractabilem reddat, partim propter Iuris & Iudicis auctoritatem, partim propter partis non appellantis consensum & renuntiationem.

3 Sunt verò aliquæ causæ, in quibus non interposita appellatione per decendum nova Iudicij instantia postulari potest, saltem probabili allegatâ causâ, secundum *Innoc. cap. Tenor. b. tit.* Et hoc est, sententiam non transire in rem iudicatam: id est, rem seu causam non reddi ita iudicatam & decisam, vt iterata cognitio & decisio peti non possit etiam ab ipsomet litigante, allegante propriam turpitudinem & inconstantiam suam, si videlicet confessus fuerit, quod iam negat, prout tradunt DD. nominatim *Abb. in cit. cap. Lator.* Quòd turpitudinem suam licitum est allegare, si non allegando periculum animæ inferatur.

4 Talis itaque causa, in qua sententia lata non transit in rem iudicatam, est matrimonialis, propterea quòd nec Iuris, nec Iudicis auctoritas, nec partium consensus aut renuntiatio efficere possit, vt matrimonij legitimè contracti separatio fiat, sed neque vice versâ, vt matrimonio non legitimè contracto, subsistente impedimento eius dirimēte, vir & mulier carnaliter coniungatur, cum agatur de periculo animæ, quemadmodum regula traditur apud eundem *Abb. in cit. c. Lator. v. g.* quòd sententia peccati nutritiva nunquam transit in rem iudicatam.

5 Nor. II. Propter solam confessionem aut dictum seu vnus seu vtriusque coniugis, nullum inter ipsos intercedere impedimentum, nō re dintegratur matrimonium, quod ante rationabili & legitimo Iudicio Ecclesiæ videlicet secundum allegata & probata separatum fuit, quemadmodum nec ob confessionem aut dictum vnus vel vtriusque intercedere impedimentum, separatur matrimonium, quod antea cum Ecclesiæ approbatione contractum erat. *c. Super eo. s. De eo qui cognouit. & notat Gloss. finalis hic.*

Id denique rectè monet eadem Glossa, si post coniugum separationem Iudicio Ecclesiæ factam, alia Iudicij instantia petatur, quia dicitur errorem commissum esse, seu

nullum impedimentum intercedere, tum alios testes producendos esse, propterea quòd Iudicij instantiam postulans priores testes periuros esse dicat, ideòque inhabiles ad testificandum, iuxta *cap. Sicut. 9. De testibus.*

CAPITULUM XII.

PARAPHRASIS.

Cum Archidiaconus Ecclesiæ Magalonensis vacaret, Episcopus nominavit P. de Castro nouo, sed Præpositus dictæ Ecclesiæ protestatus est, Archidiaconum institui non debere, nisi duplici sibi concessio suffragio, & si id negetur, ad Sedem Apostolicam aduersus institutionem appellavit, verum hoc non obstante, Episcopus dictum P. per annulum investiuit, at verò Præpositus alium nominavit; postea ab vtraque parte missi sunt procuratores ad Sedem Apostolicam.

Cælestinus Papa intellectâ hac controuersia, vtriusque partis acta cassauit; insuper pronuntiauit scribendum esse ad quosdam, vt Episcopum, Præpositum & alios ad Archidiaconum concorditer instituendum disponerent; sin autem hoc impetrare non possint, vt ipsimet aliquem instituunt; postea verò idem Cælestinus, contra Priorem suam pronuntiationem, G. qui nondum Diaconus erat, ignorante Episcopi Procuratore Romæ tunc morante, Archidiaconatum contulit, sicut credere licet circumventus. Quare Innoc. III. inhærens vestigiis suorum antecessorum dicentium: quòd sententia Romanæ Sedis in melius commutari possit, si aliquid falsitatis obrepserit, collationem ipsi G. factam (non obstante quòd etiam Episcopus Magalonensis eandem collationem non sine Apostolicæ Sedis illusione eidem fecisse narretur) in irritum reuocat, eique licet absenti super dicto Archidiaconatu perpetuum silentium indicit, atque insuper Capitulo præcipit, vt Archidiaconum convocatis omnibus, qui

qui in Ecclesia præsentés sunt, Canonici, ordinare aggrediantur.

S V M M A R I V M.

1. *Potest de consuetudine Præpositus simul & Canonicus duo suffragia habere.*
2. *Quo casu non potest ea suffragia duo in diuersos diuidere & duos eligere.*
3. *Si Papa, vel alius Ordinarius contra præcedentem suam sententiam conferat beneficium, vel rescriptum gratiæ prioris sententiæ immemor, obreptiua est collatio beneficij & rescriptum.*
4. *Ampliatur hæc doctrina.*
5. *Si impetratur rescriptum litis à parte, parte alteri vel eius procuratore præsentem, citari ea debet.*
6. *Sententiæ principis ob falsitatis vel erroris obreptionem reuocari & mutari debet.*
7. *Illud censetur Sedi Apostolicæ, si Papa postquam contulit beneficium, inferior collator idem conferre velit.*
8. *In factò notorio, ita vt liquido constet, nullam reo defensionem competere posse, valet sententiæ lata contra absentem, etiam non citatum.*

NOt. I. Si Ecclesiæ alicuius consuetudo sit, vt personatum gerens, v. g. Præpositus, vocem in Capitulo habeat, tamen si Canonicus non sit, tunc si Præpositus etiam Canonicatum habeat, duplicem vocem in Capitulo habere debet, ita colligi videtur ex hoc Capitulo, & tradit hic *Innoc. III. in principio*. Quia fortè, ait ipse, plurium personarum vicem gerebat, videlicet Præpositi & simplicis Canonici. *Ioan. Andr. hic. n. 8.* benè limitat, nisi sit alia consuetudo Ecclesiæ videlicet, vt tamen si aliquis diuersa officia habeat, quibus singulis seorsim jus suffragij competat, tamen si ea in vna persona concurrant, non nisi ei vox vna concedatur. Quam consuetudinem æquissimam esse censet, vt nullus in vno corpore seu Collegio plura suffragia habeat iure sui capitis, licet plura habere possit ex aliorum commissione, seu vt Procurator aliorum, idemque sequitur *Abb. hic. n. 2. & alij*.

Id verò addendum est, si consuetudo sit, vt Præpositus simul & Canonicus duo suffragia habeat, quod nõ debeat ea diuidere in diuersos, seu diuersos eligere, sed vnũ pro vno suffragium dare, licet id æquiualeat duobus propter duplicem qualitatem & duplex jus eius. *argumento. c. Si quis. 46. §. Porrò. de elect. in 6.*

Notand. II. Si Papa, aliũsue Ordinarius aduersus præcedentem suam sententiam, collationem faciat, aliudue rescriptum etiam gratiæ tribuat, prioris sententiæ seu pronuntiationis mentionem nullam faciens, censi debet collatio, aut rescriptum obreptitium, ita sumitur ex text. & notant DD. communiter, nominatim *Abbas. n. 13.* & habet locum doctrina 1. Tamen si collatio aut rescriptum gratiæ proprio motu emanarit, quia motus proprius non confirmat gratiam contra præsumptam intentionem concedentis; secundum *Joannem Andr. in c. Si motu. princip. de præbend. in 6.*

2. Habet locum non tantum in collatione beneficii facta contra interlocutoriam sententiam, aut priorem reservationem, v. g. factã Legato pro Titio (si postea nullã eius mentionem factã alteri conferatur) sed etiam in duabus interlocutoriis, ita vt posterior priori contraria eius nulla mentione factã per circumventionem emanare censeatur, vt docet *gl. hic verb. circumuentus*. præterquam si ex circumstantiis appareat Iudicem prioris, v. g. paulò ante prolata interlocutoria sententiæ rectè memorem esse, sicut *Abbas. hic. limitat. n. 13.* quandoquidem in factò proprio ac recente, ignorantia facilè præsumenda non est, *argumento. c. Ab excommunicato. 41. de rescriptis.*

Notand. III. Si impetretur rescriptum litis à parte, altera vel Procuratore eius præsentem in Curia, citari ea debet. Ita *Alex. and. hic. not. 4. post Hostiens.* qui testatur ita seruari in Curia Roman. videri potest *Abbas. hic. n. 16.*

Notand. IV. Sententiæ Principis propter falsitatis seu Erroris obreptionem reuocari & mutari debet, consentit *cap. Tùm ex literis. 5. de in integrum restit.*

Not.

6 Notand. V. Si postquam Pontifex beneficium contulit, inferior collator se immiscere & idem conferre velit, Sedi Apostolicæ illud censetur; ita *gl. hic. & Alex. not. 5.* Quia hæc res speciem habet quasi inferior potestas antecellat superiori.

8 Not. VI. Si notorium sit factum, adeo ut etiam liquidò constet, nullam Reo condemnando defensionem competere posse, valet sententia lata contra absentem, etiam non citatum. *argumento. c. Ad nostrum. 21. de iureiurand. & notat gl. verb. absent. Bart. in l. 1. §. Si defrumentar. ff. de administr. rerum & c. Alexand. hic. not. 6.* & videri potest *Abbas. n. 20. & seqq.* ubi aliam Regulam confirmat, quod in facto notorio si possit aliqua defensio Reo competere, semper requiritur citatio, aliàs sententia erit nulla, quippe contra jus naturale.

CAPITVLVM XIII.

Cùm inter.

PARAPHRASIS.

Abbas & Conuentus S. Zenonis Veronens. nomine Monasterii sui agebant contra Archipresbyterum & Clericos S. Proculi, proponentes, quòd eorum Ecclesia Monasterio pleno iure subiecta esse debeat, videlicet quoad institutionem & destitutionem, investituram Archipresbyteri, fidelitatis promissionem ab Archipresbytero Abbati faciendam, eiusdem quoque & fratrum suorum obedientiam, præsentationem ad ordinem & tonsuram, Chrismatis vnctionem, Litanias, siue Processionem, & similia, quibus plena subiectio significatur, ad eamque probandam ex parte Monasterii exhibitum fuit publicum instrumentum concessionis factæ à B. quondam Veronensi Episcopo, quam concessionem eius successor G. ratam habuit, & confirmauit; insuper quoque Romanorum Pontificum & Aquilegensium Patriarcharum priuilegia & confirmationes productæ sunt, quorum vnus in priuilegio suo de subie-

ctione plenariâ expressè meminit, fuitque hoc priuilegium conditum sub testimonio R. postea Veronens. Episcopo, qui illo tempore eiusdem Ecclesiæ Archipresbyter fuit, petiitque, ut Prior S. Zenonis suo loco subscriptionem faceret (quia ipse fortassè non poterat) præterea ex parte eiusdem Monasterii propositum fuit, quòd inter B. quondam Monasterij Abbatem & Archipresbyterum S. Proculi ac fratres eius, olim controuersia orta fuerit super fidelitate & obedientia manuali; nam ad hæc duo se Abbati obligatos esse negârunt, & testes produxerunt, denique verò Episcopus Veronens. Cardinalem quendam sequens, qui hoc idem antea iudicauerat, sententialiter definiuit, ut vel Archipresbyter Ecclesiam dimittat, vel Abbati obedientiam promittat, quæ sententia, cum ab ea appellatum non fuerit, in rem iudicatam transit, atque insuper 50. anni elapsi sunt, ex quo Monasterium S. Zenonis in possessione Ecclesiæ S. Proculi tanquam pleno iure subiectæ permansit. Tametsi verò supradicto donationis seu concessionis instrumento fortassè non multum innitendum sit, sed neque confirmationibus, seu priuilegiis sequentibus, quippe quæ à priori instrumento illo causam & originem acceperunt, tamen cum inter litigantes ipsos ex lata sententia factum sit, posteaquam in rem iudicatam transit, etsi poneremus contra jus litigatoris latam fuisse (quandoquidem non expressè contra legem lata fuit) idè veritas judicialium actorum, quæ ob auctoritatem rei iudicatæ legitimam præsumuntur, præualere debet sermonibus seu verbis priuilegiorum, ac proin definiit Papa Innoc. III. ut Archipresbyter S. Proculi, qui pro tempore fuit, fidelitatem & obedientiam præstet Abbati S. Zenonis.

SUMMARIUM.

1. Ecclesia secularis potest per specialem concessionem aut prescriptionem esse subiecta

- Et alteri Ecclesie non Cathedrali, etiam seculari.*
2. *Prelatus Ecclesie non Cathedralis aliam Ecclesiam sibi subiectam petens, specificare debet actus, in quibus subiecta sit.*
 3. *Sententia, à qua non est appellatum, constituit jus parti, pro qua iudicatum fuit, quod ante appellationem tantum declarat.*
 4. *Iudex certò cognoscens iniquitatem sua sententia, jurare debet, ne pars, pro qua lata fuit, executionem petat, vel sententiam retractari permittat. Et ad hoc pars tenetur, si ipsa certa sit de sententia iniustitia.*
 5. *Testis instrumentarius petere potest, ut alius vice suà subscribat, si ipse scribere nesciat, vel impeditus sit, v. g. mancus.*
 6. *Episcopus ne quidem cum consensu Capituli à se omnino eximere potest Ecclesiam suam diocesis.*

NOT. I. Ecclesia secularis per specialem concessionem aut præscriptionem potest subiecta esse alteri Ecclesie non Cathedrali etiam seculari. Consentit Capitulum *Auditis* 15. de præscriptionibus, quòd si tali casu Ecclesia inferior negat, aut subtrahit fidelitatem & obedientiam Monasterij Abbati, agere is potest contra eam, quæ dicitur subiecta, neque opus est, ut agat contra superiorem, v. g. Episcopum, qui Ecclesie jura de facto possidet, sicuti hic docet *Abbas* n. 1. & *in c. Auditis*. n. 19. *Alex. hic* n. 30. ubi ait: quòd in tali casu agi possit contra utrosque videlicet subditos subtrahentes obedientiam, & superiorem eos possidentem, sed sententia lata contra unam partem non præiudicat alteri parti.

NOT. II. Cùm Prelatus Ecclesie non Cathedralis aliam Ecclesiam sibi ut pleno jure subiectam petit, specificare debet actus, in quibus subiecta sit, quandoquidem ex jure communi fundatam intentionem non habet, sed jure speciali alicuius concessionis aut præscriptionis niti debeat, quod jus cùm ordinario Episcopali juri præiudicet, extendendum non est, vel ut clarius di-

cam, non plus juris competere censetur, quàm præscriptum aut concessum ostendatur, *juxta citatum cap. Auditis. & docet Abbas hic* n. 5.

NOT. III. Licet sententia cùm primùm prolata est, jus inter partes contendentes non constituat, sed declaret secundùm *Gl. in c. Foras* 10. verb. *Juris status*. ff. de verb. signif. Tamen post decem dies, si appellatum non sit, jus constituit parti, pro qua iudicatum fuit contra alteram partem, ita ut hæc non audiatur, si iterum productis actis, al à ve ratione ostenderè velit, injustè iudicatum esse. Ratio est, quia ex juris dispositione post lapsum decendium præsumptio est pro sententia, justè latam fuisse, ita ut in contrarium probatio non admittatur, *juxta l. Res*. ff. de Regul. Juris. ubi dicitur, quòd res iudicata pro veritate habetur.

Ex quo sequitur 1. Si sententia notoriè iniusta sit, quia eius iniquitas ex actis manifestè constat, pro irrita habendam esse, sicut ex communi docet *Abbas hic* n. 8. *Vantius de nullitatibus*. tit. de defect. processus. n. 127. argumento *l. Si pars*. 10. de inofficioso testamento; nihil enim magis repugnat Iudicis sententia, quàm notoria iniquitas, cùm & ipsa sententia jus quoddam sit, unde & Iudex appellatus est quasi jus dicens. Accedit quòd sententia Iudicis post 10. dierum lapsum confirmata, sancta & irtractabilis censeatur propter Iustitiæ præsumptionem, quam ob Iudicis auctoritatem, ipsiusque partis non appellantis taciturnitatem acquirit; præsumptio autem cessat, si contraria veritas notoria sit, prout dixi etiam *in cap. 1. hoc tit.*

Sequitur 2. Si pars, pro qua sententia lata fuit, pro certo habeat, eam iniustam esse, & contra jus alterius litigatoris, non potest ei salva conscientia se conformare, aut eius executionem petere, vel acceptare, sicuti bene hic tradit *Abb. num. 8.* imò si pars litigans confiteatur, iniustam esse, retractari debet, ut idem *Abbas* docet. nam Regula illa, quòd res iudicata pro veritate habetur, & quòd jus inter partes facit, limitari debet, nisi contraria iniustitia indubitata sit.

Sequi-

Sequitur 3, Si Iudex lata à se sententia iniquitatem certò cognoscat, tum parti, pro qua prolata fuit, intimare debet, vt eius executionem non petat, vel factam retractari sinat, vide quæ docui in *cir. c. 1. & lib. 3. tr. 6. de iustitia. c. 2. q. 3.*

Obijcies, Pontifex in hoc Cap. distinguit **num** sententia lata sit contra jus litigatoris, an contra jus constitutionis, atque in priori casu valere sententiam, in posteriori autem non valere, si error siue repugnantia juris aut legis in sententia expressa sit tacitè insinuans valiturum, si expressa repugnantia non sit.

Resp. Hæc dicta Pontificis secundum præsumptionem intelligenda esse, videlicet licet ex vna parte videri possit sententiam latam esse contra jus litigatoris, vt in casu huius Capituli, prout dicemus in Not. 5. tamen ex altera parte prævalere præsumptionem, quæ est pro iustitia sententiæ, si ab ea appellatum non sit, cum sciri non possit, ex quibus causis Iudex motus fuerit ad sententiam ferendam, idè inque dicendum videtur, si sententia videatur esse contra jus constitutionis, tamen id manifestum aut notorium non existat, at verò si error seu repugnantia iuris in sententia exprimat, si videlicet Iudex sententiam suam fundet contra jus commune, tum manifesta & notoria est eius iniquitas.

Addit verò *Ioan. Andr. ex Hostiensis in c. In presentia. de renuntiatione.* Si Iudex in sententia suas causas exprimat, quarum vna sola sit contra jus constitutionis seu legem, valituram sententiam, si ex altera causa subsistere possit, quia vtile per inutile vitiari non debet. *Reg. 37. in 6.*

5 Not. IV. Testis instrumentarius petere potest, vt alius vice sua subscribat, quod intellige, si ipsemet scribere nesciat, aut impeditus sit. v. g. mancus. *secundum glossam hinc. verb. vice sua.*

6 Not. V. Episcopus ne quidem cum consensu Capituli à se omnino eximere potest Ecclesiam suæ diocesis, prout docet *glossa recepta. in c. 1. verb. tradite. 16. q. 2.* Quòd Episcopus Ecclesiam à se totaliter eximere

non possit, ita, vt correctionem, visitationem, procurationem & Cathedricum non retineat, *argumento cap. Cùm Venerabilis. vbi id fusè tradit Ioan. Andr. n. 7. de censibus. & indicatur in hoc c.* Quando dicitur, licet instrumento donationis ab Episcopo factæ multum innitendum non videatur, tamen propter rei iudicatæ auctoritatem ita præsumendum esse, quòd Ecclesia S. Proculi ab Episcopali interdictione libera Abbati S. Zenonis plenè jure subiecta censeatur, & existat. Ratio huius notandi est, tum quia Episcopus non potest alium in diocesi præter se ordinarium constituere, vt docui in *disp. de iurisd. ordin. c. 3.* Tum quia absurdum est, quòd Episcopus Episcopalem suam curam & jurisdictionem erga aliquos sibi commissos sine Papæ auctoritate omnino exere possit, sicut *Ioan. Andr. hinc notat*, quare eadem ratione nec Parochus curam à se erga aliquem abdicare poterit.

CAPITVLVM XIV.

Causam.

PARAPHRASIS.

Inter Canonicos Novariens. Ecclesiæ ex parte vna, & A. Clericum ex parte altera controuersia erat super dictæ Ecclesiæ præbenda. illam Pontifex ex partium consensu commisit Episcopo Laudensi, qui sententiam pro Canonicis tulit, à qua Clericus A. ad Pontificem appellauit, cum autem partes coram Pontifice constitutæ in vtrâque partem pro & contra iustitiam prioris sententiæ multa adduxissent, Innoc. III. diligenti tractatu præmissis respondit: Licet ex parte A. propositum, & testium depositiones productæ sint, quòd Episcopus contra formam mandati Apostolici sententiâ promulgârit; quia tamen animus Iudicis non semper ad vnâ tantum probationis speciem inclinatur, & alioquin Episcopi sententia nil iniquum continet, considerato etiam quòd causa ex partium communi consensu eidem fuerit commissa, quæ etiam,

ooo

etiam,

etiam, ut sententiam post causæ examinationem ferret, ab utraque parte requisitus fuit ob has causas se sententiam dictam confirmare.

S V M M A R I V M.

1. *Etiā à iudice qui ex communi partium consensu impetratus, appellari potest, vti & à iudice cuius jurisdictionem partes prorogârunt.*
2. *Afferuntur aliquot limitationes.*
3. *Difficilius sententia semel lata rescinditur, si iudex ab utraque parte electus est, qui tamen nihilominus etiā in hoc casu, de eius iustitia cognoscere debet.*
4. *Ostenditur modus cognoscendi & pronuntiandi in tali appellationis causa.*

¶ Not. I. Tâmetſi Iudex ex comūni partium consensu impetratus sit, tamen ab eo appellari potest. *l. Ex consensu. 33. ff. de appellationibus.* Idemque sentiendum, si partes ad Iudicem non suum accedant prorogantes jurisdictionem eius. *l. Ex concessu.*

2. Excipe 1. Calum specialem legis *Episcopale 9. de Episcopali audientia.* vbi statuitur, si aliqui (videlicet laici) Episcopi Iurisdictioni in causis ciuilibus se committunt, appellationi locum non esse. Ita *Abb. n. 1. Alex. n. 2.*

Excipe 2. Si à Iudice, cuius iurisdictione prorogatur, subditi appellare non possint, neque prorogâtes jurisdictionem ab eo appellare possunt, sicuti docet *Bart. in cit. l. Episcopale. Gl. in c. B. & G. verb. prorogatio. de off. deleg.* vbi rationem dat, quia iurisdictione prorogata non fit alia (cum partes iurisdictione conferre non possint) sed extenditur, ideòque eiusdem naturæ manet, adeò vt si prorogetur iurisdictione ordinaria, maneat ordinaria, sin delegata ad alias causas prorogetur, maneat delegata.

3. Not. II. Facilius præsumitur pro Iudicis sententia, siue vt aliter dicam, ea difficilius tanquam iniuste lata rescinditur, si Iudex ab utraque parte electus sit. Veruntamen Iudex appellationis etiā in hoc casu cognoscere debet de iustitia sententiæ prio-

ris revolvendo acta eius, quia pendente appellatione non est præsumptio pro iustitia sententiæ, quandoquidem de illa cognosci debet. Quapropter si Iudex à quo contra actorem pronuntiavit, & ex actis cognoscatur, quòd actor intentionem suam legitime probarit, retractari debet sententia *c. cum Berchtold. 18. hoc tit.* & vice versa si Iudex sententiam tulit pro Actore contra Reum, at verò ex actis apparet, actorem non probasse sufficienter, retractanda est sententia. *argumento. c. Cum ad sedem. 15. verb. Nos prioris. de restit. spoliat.* Sin autem inspectis actis res dubia sit, quia videlicet non constat, testes productos in priori Iudicio fuisse integræ fidei, neque sciatur quibus aliis præsumptionibus seu in vnam seu in aliam partem nixus fuerit Iudex, adeòque res planè dubia sit, quia neque in posteriore seu appellationis iudicio nouæ probationes afferuntur, hoc casu prioris Iudicis sententia, maximè si ex vtriusque partis consensu electus fuerit, confirmanda erit.

Et hic videtur esse casus huius Capituli, interprete *Alex. de Nauo in fin.* fortasse enim scripserat Pont. pro Clerico ad Episcopum, vt si constaret, eum à maiore parte Capituli electum esse, ipsum institueret. Clericus autem ille produxit testes, qui de posuerunt de tali electione, quo tamen non obstante sententia contra ipsum lata fuit. hoc casu Pontifex, cum eadem sententia iniustitiæ accusaretur, per viam appellationis Respondit tamen considerandò solam illam testium depositionem, pro actore Clerico sententia ferenda fuisset secundum formam mandati, quia tamen non satis constabat, quòd probatio, seu depositio fuerit omni exceptione maior, aut quas alias Iudex in vtramque partem præsumptiones habuerit, & vno verbo, cum iniustitiæ sententiæ inspectis ac perpenſis omnibus, quæ coram Iudice appellationis exhibita sunt, non satis appareat, ideò sententiam eiusdem præsertim cum comūni consensu impetratus sit, & ex vtriusque partis requisitione pronuntiari, non rescindendam, sed confirmandam esse.

CAP.

CAPITVLVM XV.

Quoad Consultationem.

PARAPHRASIS.

Clerico cuidam, qui v. g. de iniusto damno illato suspectus erat, purgatio indicta est, ita vt nisi intra dies 20. se purgaret, certam pecuniam solueret, hanc conditionem cum acceptasset, adueniente postea die seu termino elapso appellauit, nullâ expressâ causâ; hoc casu appellatio eius recipi non debet, quia cum intra 10. dies appellare intermiserit, idè post hoc tempus sententia in auctoritatem rei iudicata transit, ipsèque Clericus per Iuris interpretationem sententiæ latæ acquiescisse censetur, vt proinde appellare postea non possit, præsertim nullâ reddita appellationis causâ, sed neque executio sententiæ contra eundem Clericum latæ, circa pecuniam damnificato soluendam retardari debet, tamen si tempus quadrimestre, quod ordinariè talium debitorum solutioni iura indulgent, necdum elapsus sit, quia hoc tempus à Iudice breuiari & prorogari potest. Accedit, quòd, cum Clericus terminum breuiorem sponte acceptarit, sibi ipsi hoc imputare debet. Veruntamen si contra eum modus & forma executionis à Canonibus præscripta excedatur, tum audiri debet conquerendo.

S V M M A R I V M.

1. Tempus 10. dierum pro appellatione concessum, incipit à momento latæ sententiæ, nisi copia haberi non posset iudicis à quo, vel ad quem appellandum esset.
2. Si pars litigans intra decendum cum possit, non appellat, censetur acquiescere sententiæ.
3. Tempus à iure definitum pro executione sententiæ, quod in personalibus debitis est quadrimestre, iudex ex justa causa breuiare vel prorogare potest.
4. Ab executore mero ordinariè appellari non potest, nisi limites mandati excedat.

5. Nullitas sententiæ semper opponi potest contra executionem. Et tunc de tali exceptione cognoscere potest merus executor, vt & de ea, quæ solum accidentarium quid proponit, non directè iudicis sententiam oppugnans.
6. Appellatio ab executione, si de eius iure sit, deferri debet ad iudicem pronuntiantem, si de eius facto, ad superiorem iudicis mandantis, casu quo executor exequi vult, prout mandatum est, secus ad iudicem mandantem. Poterit etiam in hoc casu sine appellatione, iudicis officium implorari.
7. Si iudex sententiam suam exequitur per alium (vt interdum solet) iudicem seu superiorem, appellatio ad quem deferenda?
8. Appellans ab executione sententiæ, causam exprimere debet.

Not. I. Tempus dierum 10. quod iura ad appellandum indulgent, incipit à momento illo, in quo sententia lata est, præterquam si nec Iudex à quo seu coram quo appellatio facienda esset, neque Iudex, ad quem appellari debet, copiam sui faciat, nam interea tempus non currit. *l. 1. §. dies. ff. quando appellandum.* & refertur in *c. Biduum. 29. c. 2. q. 6.* His adde, quæ dicuntur in *c. ult. de appellationibus.*

Not. II. Si pars litigans, contra quam sententia lata est, intra 10. dies non appellet, cum posset appellare, censetur acquiescere sententiæ. *Consentit l. ab eo. 3. C. quomodo & quando & c. & l. ult. de sententiæ, qua sine cert. quant. in fine.* vbi dicitur: quòd condemnatus nō appellans, videatur confirmare sententiam, id tamen intelligi debet in eum effectum duntaxat, vt postea non audiatur, tanquam qui sententiæ acquiescerit, sed absolutè loquendo præsumptio illa falsa est, cum frequentissimè alia causa sit appellationem intermittendi, videlicet, quia lites aliquis exaceratur, vt malit re carere, quam toties litigare. *l. item si. 4. in fin. ff. ne alienatione iudicis mutandi causâ.* præsertim si animaduertatur, quòd Iudex ad quem, non facillè rescindat sententias latas à Iudice inferiore.

4 Not. III. Tempus à jure definitum pro executione sententiæ, quod in personalibus debitis quadrimestre est, Iudex ex causa iusta breuiare vel prorogare potest *l. 2. & l. 4. §. Si quis condemn. ff. de re jud. & tradit gl. hic. verb. actori.* sed causæ cognitione non præmissâ, non potest tempus mutari, prout tradit *gl. citat. Felin. hic. n. 8.* addens, quod nec prorogari possit sine causa. Dynus & alii in *Reg. 17. in 6.* indultum à jure beneficium non est alicui auferendum.

5 Not. IV. A mero executore ordinariè appellari non potest. *l. Ab executor. 4. ff. de appellationibus.* Ratio est, quia ipse exequendo non grauat, sed si grauamen contingit, id à Iudice, cuius sententia executioni mandatur, illatum est.

Excipe, nisi executor formam aut limites mandati excedat, *juxta c. nouit. 48. de appell.* vt si partes Iudicis sibi vendicauit, aut sententiam interpretari velit, cum talis potestas mero executori ac nuntio non competat. *l. Si ut proponis. de executione rei iudicata,* aut si exequi velit ante tempus; vel non secundum ordinem præscriptum v. g. vt à debitore prius capiantur bona mobilia. *l. à Diuo. 15. §. in vendit. ff. de re jud. & viderelicet in gl. fin. hic. apud Alexand. n. 57.*

His adde I. Quod nullitas sententiæ semper opponi potest contra executionem, vti videre est apud *Durand. in specul. l. 2. p. 1. tit. de except. & replicationibus. §. 3. n. 14.* nam talis exceptio nullitatis, quæ exceptio iudicium retrò nullum reddit, v. g. Iudicem non fuisse competentem, procuratorem fuisse fallum seu mandato destitutum, post latam sententiam semper opponi potest *c. in nostra. 4. de procuratoribus.* Quare hoc casu executor merus cognoscere potest de exceptione contra sententiam, vt appareat, num eam exequi debeat, an verò super se dere, & causam ad superiorem seu mandantem remittere. *c. de cetero. 5. hoc. tit. & tradit Gail. l. 1. obseru. 113. n. 8. Joann. Andr. hic. n. 21.* Qui ait: nisi sententiam manifestè constet nullam esse, executorem impediri non posse ab executione.

Adde II. Si exceptio, quæ obicitur, ta-

lis sit, vt sententiâ Iudicis directè non oppugnet, seu iniustitiæ arguat, sed accidentarium quidpiam proponat, cognoscere de eo potest executor, vt intelligat exequine debeat, v. g. si dicatur factam esse nouationem. *l. c. nouam conuentionem super sententia condemnationis, l. 4. §. Si ex conuentione. ff. de re iudicata.* vbi *Bart. & Paul. de cast.* videri possunt, aut si dicatur compensatione alioque modo satisfactum esse debito; *cit. l. 4. §. condemnat. verb. soluisse.*

Quæritur I. Si appellandum sit contra executionem, ad quem Iudicem appellatio deferri debeat. Ad hoc *Resp. Abbas. hic. n. 28. Alex. n. 65. ex Bart. in cit. l. Ab execute. & cit. l. A Diuo. §. Sententiam.* vel appellatio fit de jure executionis, dicendo malè pronuntiatum esse super executione faciendâ, tunc appellatio tendere debet ad Iudicem pronuntiantem; quare si talis sit, à quo appellari non possit, locus non erit appellationi, vel appellatio fit de executionis facto, & hoc casu vel executor exequi vult, prout ipsi mandatum est, tunc appellatio ad superiorem tendit Iudicis mandantis, quia ipse est qui grauat, nō executor seu nuntius, is enim potius facere aliquid censetur, cuius nomine & mandato id fit, præsertim si istanquam subditus aut famulus parere debeat, quâ de re *l. 3. tract. 2. de just. c. 6. n. 2.* Sin autem executor modum excedat, vel aliter ipse grauet, tum ad Iudicem mandantem appellatio deuoluetur, poteritque sine appellatione Iudicis officium in hoc casu implorari, *test. Bartol. in cit. l. Ab execute. num. 4.*

Denique interdum Iudex sententiam suam exequitur per alium Iudicem, seu Superiorem, idque duobus modis; vel ut alter Iudex proprio jure post denuntiationem sibi à Iudice priori factam, sententiæ executionem faciat, quæ in rem iudicatam transit. *c. Romana. §. Contrahentes. de foro compet. in 6.* tunc appellatio deferri debet ad superiorem Iudicis executionem facientis, idque multò magis locum habet, si condemnatus ab vno Iudice, postea apud alterum pro executione conueniatur actione in factum

ctum, seu actione iudicati, teste *Bart. in cit. §. Sententiam.*

Vel ut alter Iudex auxilium præbeat priori Iudici exequi volenti, & hoc casu distinguitur, num sit auxilium facti, v. g. manum militarem subministrando, hoc casu appellandum est ad superiorem Iudicis exequentis, cui auxilium ministratur, quia ipse est, qui principaliter grauat; an verò sit auxilium juris, quia v. g. sæcularis Magistratus petit ab Ecclesiastico Prælato, ut pro executione faciendâ condemnatum parere recusantem excommunicet, hoc casu appellari potest ad superiorem excommunicare volentis, secundum *Bart. cit. §. Sententiam. n. 6. sed Abb. & Alex.* dicunt appellari etiam posse ad superiorem eius, qui Ecclesiasticæ potestatis auxilium implorat, cum sit causa illati grauaminis. *Arg. c. ult. de iniuriis.*

§ Quæritur 2. Vtrum appellans ab executione sententiæ causam exprimere debeat. Responsio est affirmativa, cum *Abb. hio. n. 30. Alex. n. 70. Felin. n. 18.* Rationem dat Abbas, quia interpellans à sententia interlocutoria, causam grauaminis exprimere debet. *c. Ut debitus. 59. de appell. sed executio aut sententia executionis faciendâ interlocutoria est, aut vim interlocutoriæ habens, &c. sed hæc ratio non probat, uti bene notat Alex. n. 74.* quia sententia excommunicationis potius habet vim definitivæ; propterea, quòd eam alia non sequatur. quare alia ratio dari debet, quam etiam Abbas affert; cum appellatio ab executione sententiæ ordinariè interdicta sit, idèò audiendus non est appellare volens, nisi causam afferat, nam alioquin præsumptio adest contra illum, & pro valore sententiæ, quæ in rem iudicatam transit.

CAPITVLVM XVI.

Sicut.

PARAPHRASIS.

Controuersia erat inter H. Subdiaconum, & B. Presbyterum super quinque modis frumenti, quos H. sibi à Presbytero an-

nuatim soluendos proponebat, ea causa Iudicibus delegata est coram quibus H. modios sibi debitos petebat. Presbyter autem negabat se debere, propterea, quòd antea super hoc conventus fuerit, & per sententiam absolutus, idque duobus testibus probauit, ex quorum depositione constabat, quòd Magister A. auctoritate Lugdunensis Episcopi Presbyterum à petitione H. absoluerit; sed quia testimonia nudè prolata erant, non adiectâ causâ, ex qua Iudex motus fuerit ad ita pronuntiandum, dubitârunt Iudices, quid statuere deberent. Resp. ipsis Innoc. III. hîc, quandoquidem in plerisque locis, in quibus prudentum copia habetur, id vîtatum est, ut quæ Iudicem ad sententiam ferendam mouent, in ea non exprimantur, idèò cum testes deponant de sententia à Iudice prolata, propter auctoritatem iudicariam præsumendum, quòd omnia legitimè acta sint.

S V M M A R I V M.

1. Pensionarius recusans solutionem pensionis quasi indebita illi, qui diu erat in possessione exigendi eam tanquam debitam, spoliū committit, & tenetur interdicto, vnde vi.
2. Actus ad cuius substantiam requiritur scriptura, eâ perditâ probari potest per duos testes.
3. Sententia iudicis valida est, licet nulla in ea causa expressa sit, nisi interdum per accidens, ad quosdam effectus.
4. Si constet sententiam à iudice latam esse, propter iudicariam auctoritatem, præsumitur, omnia legitimè facta fuisse.

NOT. I. Si quis longo tempore fuerat in possessione exigendi annuam pensionem tanquam sibi debitam, & pensionarius incipit eius solutionem recusare, quasi debita non sit, censetur spoliū committere, ut locus sit interdicto vnde vi; ita colligitur ex hoc c. & habetur in c. *Querelam. 24. de elect.* Tradit hîc *Abb. n. 2. Felin. n. 1.* vbi aiunt: esse hunc textum singularem

rem secundum quem agi possit interdicto possessorio pro iuribus merè personalibus ad pensionem solvendam, vide quæ dixi in *cit. c. Querelam.*

2 Not. II. Actus, ad cuius substantiam requiritur scriptura, videlicet lata sententia *c. ult. h. tit. in 6. l. 2. C. de sententiis. ex periculo recitandis*, probari potest per duos testes, si scriptura deperdita sit. *c. Cum olim. 12. de privileg. & notat Abbas hic n. 4. Mascard. de probationibus concl. 908.* vbi ait tria hoc casu esse probanda videlicet actum celebratum fuisse, instrumentum super eo confectum, illudque amissum, iuxta *l. testium. 18. C. de testibus.* & videri potest *Bald. ibi. n. 3.* vbi ait: quod instrumenta interdum perduntur casu fortuito, videlicet incendio, naufragio &c. tunc qui casum allegat, debet eum probare, probato autem casu, sufficiunt duo testes ad probandum instrumentum & tenorem eius; verum quod attinet ad casum amissionis, si probatio difficilis sit, ad coniecturas, præsumptiones, & iuramentum confugiendum erit. Vide *Felin. hic & Canonist. in c. Cum olim.*

3 Not. III. Sententia Iudicis valida est, tametsi nulla in ea causa expressa sit. Ita *text. & gl. recepta hic verb. exprimantur. Durand. in speculo. l. 2. p. 3. tit. de sententia. §. 5. n. 3.* vbi ait: consultius esse Iudici, vt causam nullam exprimat, ne, si fallam seu juri repugnantem alleget, sententia vitietur. Veruntamen *Durand. ibidem & Gl. cit.* casus afferunt, in quibus necesse sit in sententia causam exprimere, videlicet in causa appellationis *cap. Cum Berthold. 18. h. tit.* Si Iudex propter ineptitudinem libelli reum absoluit, *c. Examinata. 13. de iudiciis.* Si eundem absoluit non simpliciter, sed ab instantia iudicii. *l. Prope-randum. 13. §. illo. C. de iudic.* Si Iudex sententiando recedat ab ordinario jure. v.g. victum in expensas non condemnet. *auth. de jud. §. oportet. collatione 6.* Si reum absoluat, eo, quod non possideat in iudicio vindicationis *cap. penultimo. de exceptionibus.* Denique sententiæ excommunicationis causa exprimenda est. *c. 1. De sententia excommunicationis in 6.*

Verum Abbas hic generatim defendit traditâ Regulam, quod per se loquendo necesse non est ad sententiæ valorem, vt causa exprimat, licet interdum per accidens, siue ad quosdam effectus id necessarium sit, nam damnatus. v.g. tutor ex vna causa, videlicet ob dolum commissum, efficitur infamis, secus autem, si ob negligentiam à tutela remoueat. *l. Ha enim. 4. ff. de suspect. tutoribus.* vbi tamen dicitur, si in sententia non exprimat causa, quod mitius est, præsumendum esse, vt ob negligentiam tantum amotus censetur. Iudex quoque appellationis causam suæ sententiæ dicere non tenetur, nisi quod æquum sit ad conseruandum Iudicis prioris honorem, si sententia ex nouis actis rescindatur, vt id exprimat. *c. Cum Ioannes. 10. de fide instrum.* & idem ferme est in aliis supradictis casibus, excepto casu latæ excommunicationis, in quo causa necessariò exprimenda est necessitate præcepti, non autem vt aliter sententia non valeat.

Not. IV. Si constet sententiam à Iudice latam esse propter iudiciariam auctoritatem, præsumitur, omnia legitime facta fuisse, exinde colligit hic *Abb. n. 6.* si testes deponant de actu sententiæ latæ, præsumptionem inde oriri, quod in scripturam redacta fuerit, cum scriptura pertineat ad substantiam sententiæ iudicialis, saltem in causis allicuius momenti. *l. 2. & auth. nisi breues. C. de sent. ex periculo &c.*

Deberent tamen testes de hoc ipso examinari, num audiuerint sententiam ex scriptura recitatam, iuxta *cit. l. 2.* quod si verò ex antecedentis iudicii actis constet, quod testes deposuerint de sententia lata, tum locus est doctrinæ Abb. quod censetur deposuisse de sententia lata legitime, videlicet ex scriptura.

CAPITVLVM XVII.

Cùm super &c.

PARAPHRASIS.

Controversia erat inter Episcopum Auriensem

sem & Monasterium Cellæ nouæ super subiectione eius, in ea causa plures sententiæ pro Episcopo latae fuerunt, quibus & Monasterium & Episcopus Ouetensis (cui Monasterium subiectum asse- rebatur) se grauari existimârunt, & idè ad Sedem Apostolicam appellârunt, petentes, vt sententia executioni non mandaretur, sed quia ex parte Monasterij nihil rationale allatum fuit, cur sententia pro Episcopo lata retractari deberet, eam Pontifex in ordine ad Monasterium cõfirmendam esse censuit; at verò si constituerit, appellationem pro Episcopo Ouetensi rationabiliter impositam fuisse, & ad eam prosequendam nuntium intra terminum temporis legitimum fuisse destinatum, executionem sententiæ differendam esse, ne dicta Ouetensis Ecclesia circa possessionem juris erga Monasterium patiatur detrimentum, alioquin verò sententiam, sicuti iustum fuerit, executioni mandandam esse absque Ouetensis Ecclesiæ præiudicio. Quandoquidem hæc non præiudicant isti Ecclesiæ, quo minùs consequi possit, quod rationes eius ostendunt; cum res inter alios acta, ordinariè loquendo, secundùm Canones, alteri obesse non debent.

S V M M A R I V M.

1. Ab eadem sententia potest appellare non tantùm victus, sed etiam tertius, cuius interest.
2. Casus specialis est, in quo cuiilibet appellare licet, tametsi eius non intersit, nempe si aliquis trahatur ad supplicium, quem alius innocentem ostendere velit, tenet appellatio; etiam inuito eo qui trahitur, & mori volente.
3. Appellationes in causis criminalibus in Imperio non recipiuntur.
4. Principali in causa succumbente, etiam appellationis, potest tamen is cuius inter est, à sententia legitime appellare, suspensa eius executione, dum huius causa cognita sit.
5. Appellatio tamen hæc fieri debet intra decennium, doceri etiam quòd appellantis in-

tersit, & adsit causa rationabilis appellandi.

Not. I. A sententia inter aliquos lata, alius appellare potest, cuius inter est, seu cui ex sententia præiudicium aut damnum proueniret, tametsi ipse iudicio non interfuerit *l. à sententia. s. ff. de appell. consentit cap. Cum inter. 16. de electione.* vbi dicitur, appellationem ei concessam non esse, cuius non interest, vnde per sensum contrarium colligitur, si alicuius intersit, appellationem ipsi concedi.

His adde, esse casum specialem in quo cuiilibet appellare licet, tametsi eius non intersit, videlicet: si aliquis ad supplicium trahatur, quem alius innocentem esse ostendere velit, idè que differendum supplicium esse dicat, tametsi is, qui trahitur, inuitus sit, seu mori malit. *l. 6. ff. eodem.* Vbi dicitur, quòd non tantùm ei, qui ad supplicium ducitur, procurare permittitur, verùm alii quoque nomine eius, tametsi resistat, qui damnatus est, & perire festinans. vbi *gl. Marg.* admonet, idè confitentè, se occidisse hominem, non puniri, prætextu confessionis, nisi constet de corpore occiso, quia non auditur petire volens.

Pro pleniori intellectu videri potest *l. 2. C. Quorum appellationes non recipiuntur.* vbi habetur in duobus casibus, appellationem recipi post latam sententiam, in tali criminali causa; videlicet si conuictus Reus dicatur, sed non confessus, aut si confessus sit ob tormentorum metum; Veruntamen in Imperio appellationes in causis criminalibus ferme non recipiuntur.

Not. II. Tametsi is, qui principalem causam egit, succumbat, seu sententiam contra se ferat, tamen id non debet obesse alteri, qui sua interesse ait; & idè à latà sententia legitime appellat; imò tametsi is, cuius causà principaliter agitur, etiam appellauit, & in causa appellationis succumbat, non debet tamen sententia executioni mandari, donec & ipsius causa, qui ob interesse suum appellauit, etiam audita sit. Veruntamen necesse est, vt intra tempus legitimum, videlicet 10. dierum, appellatio fiat, & doceatur in-

interesse eius, qui appellat; denique ad esse causam rationabilem appellandi: nam jure ordinario nemini conceditur appellatio, præter eos, inter quos causa acta fuit, cum itaque iste, cuius interest, jure speciali veniat, ostendere debet rationabilem subesse causam, sicut in simili *sup. inc. Quod ad. 15. h. tit.*

Quod si verò vnum ex his desit, quia intra 10. dies is, cuius interest, appellare intermisit, vel causam rationabilem docere non potuit, tum distinguendum, num sciverit, an ignoraret causam agi & sententiam latam esse; si ignoravit, certum est, quod ipsi nullo modo præiudicari debeat, quare sententia executioni mandanda non est, si is in possessione. v. g. subiectionis existat, quia præiudicium ei fieret, si possessio auferretur, id est, Clerici, qui hæctenus obedientiam & fidelitatem Episcopo Ovetensi præstiterunt, nunc Auriensi Episcopo præstare juberentur. *arg. cap. Veniens. 38. juncta gl. verb. utraque pars. de testibus.* Sin autem scivit & tacuit, aut si intra tempus legitimum non appellavit, tunc executio fieri debet, salva tamen proprietatis quæstione, si causam ipsemet in iudicio petitorio deducere velit; nõ enim obstabit ei res iudicata, quia, quæ inter alios acta sunt, aliis nocere nõ debent, & hæc est interpretatio *Gl. communiter recepta hic verb. non noceat. Ioan. And. n. 11. Imol. n. 2.* ubi aiunt: quod in hoc casu præiudicium fiat quoad possessorium, non item quoad jus proprietatis, quamvis contrarium doceat hic *Abb. n. 7.* neque quoad possessionem præiudicium fieri oportere, ideòque executionem etiam tali casu differendam esse: sed communis interpretatio aperte colligitur ex textu, quando dicitur: si Episcopus Ovetensis ob causam rationabilem & iutra tempus legitimum appellavit, executionem sententiæ differendam esse, ne Ecclesia eius circa possessionem detrimentum patiatur: alioquin (id est, si non intra legitimum tempus appellatũ sit) executioni mandandam esse sententiam, tamen sine præiudicio Ecclesiæ Ovetensis quo minus ipsa suas rationes & jura postea proponere possit.

Neque mirum videri debet, quod in hæc causa subiectionis executio fiat, cum præiudicio possessionis, partim quia sibi imputare debet possessor, quod causam agi passus est, sententiam ferri, & in rem iudicatam transire, partim quia possessio non nisi indirectè & per consequentiam ei auferitur, eò quod Ecclesia duobus subdita esse non possit, ac proinde dum vni Episcopo obedientiam præstare cogitur, alteri quodammodo subtrahitur.

CAPITVLVM XVIII.

Cùm Berchtholdus &c.

PARAPHRASIS.

Berchtholdus miles pagum suum P. militi hypothecæ nomine obligavit, mortuo P. hæres & nepos eius A. vacante Ecclesiâ eius loci D. Clericum præsentavit, afferens jus patronatũ ad ipsum vnã cum bonorum universitate transisse, ea propter Archidiaconus dictum D. ex Episcopi consensu instituit, inducens ipsum in possessionem corporalem, sed & Berchtholdus fundi Dominus Sacerdotem T. Episcopo præsentavit, qui tamen eum non admittit; quapropter dictus T. litem movit D. coram Remensi Episcopo Apostolicæ Sedis Legato, qui illam Iudicibus quibusdam delegavit eã formã, vt causam examinatam & instructam ad ipsum remitterent: sed cùm D. Clericus cum attestationibus suis adveniret, T. autem nec per se, nec per Procuratorem ad constitutum ipsi terminum compareret, Archiepiscopus inspectis dicti Clerici attestationibus, eum ab impetitione Sacerdotis judicialiter absoluit, eidem silentium super Ecclesia memorata indicens, postea verò idem T. ad Archiepiscopum iutra breve tempus accedens, justam absentię causam allegavit. Tunc Archiepiscopus Argentino electo Episcopo, & quibusdam aliis per literas mandavit, vt si justam coram eis absentię causam ostenderit, priorem sententiam nullius roboris esse

esse declarent, causamque ipsi definiant, alioquin verò faciant sententiam illam obseruari. Verùm delegati illi Iudices vices suas aliis commiserunt seu subdelegarunt, qui cum testes super illo articulo recepissent, ab eis Clericus D. ad Pontificem appellauit. Porro tametsi T. Sacerdos absentia suæ causam minùs sufficienter in auditorio Papæ probauit, tamen ne opinio veritati præiudicet,

Resp. Diaconum Cardinalem causæ ipsius principalis dedit auditorem, qui cum Papæ omnia retulisset ex tenore sententiæ, perspexit Innoc. III. Archiepiscopum fuisse circumuentum, partim quia in ea continebatur, quòd per attestaciones Clerici sufficienter probatum fuisset supradictum A. in possessione juris patronatûs fuisse, quando eundem Clericum ad Ecclesiam præsentauit, cum tamen per attestaciones illas aliud probatum non sit, nisi quòd B. & A. ratione cuiusdam juris, ob quod ex Ecclesia illa patronis aliquid præstari solet, annuatim 10. solidos acceperint, partim quia in eadem sententia continebatur, quòd dictus T. in probatione defecerit, & tamen ex attestacionibus apparebat intentionem suam ipsum satis probasse: partim quia Archiepiscopus causam non sufficienter instructam recepit, quandoquidem vnus tantum partis attestaciones accepit, quæ parum ad rem faciebant, ea propter Pontifex dictam sententiam retractat, & T. Sacerdoti Ecclesiam adiudicat, quia ex attestacionibus euidenter constitit, ipsum à vero Patrono ad Ecclesiam illam præsentatum fuisse.

SYMMARIUM.

1. Post factam beneficij collationem promissus induci debet in corporalem eius possessionem.
2. Potest tamen possessio beneficij solo verbo fieri in presentia eius, modo nemo alius possideat.
3. Refertur casus in quo etiam in absentia rei possessio eius tradi possit.
4. Cum vniuersitate bonorum v. g. Castro

cum pertinentibus, Creditori concesso in pignus, non transit in eum jus patronatûs.

5. In possessione juris patronatûs non constituitur ex eo, quòd percipiat annuam possessionem, qua patrono dari solet iuxta fundationis tenorem.
6. Postquam sententia in absentia partis lata in rem iudicatam transit, pars adueniens non auditur, nisi legitimam absentia sua causam probauerit, tunc sententia retractari debet.

Not. I. Post factam beneficij collationem prouisus induci debet in corporalem eius possessionem, nam per collationem aut institutionem titulus confertur, non possessio, prout etiam docui in *disp. de electione. g. 114.* Potest tamen possessio beneficij, v. g. Parochiæ solo verbo fieri in presentia eius, dummodò nemo alius in possessione sit. *argumento. l. Quòd meo. 18. §. Si venditorem. ff. de acquirenda possessione.* vbi dicitur: si vicinum mihi fundum venditor in mea turri demonstrat, vacuamque se possessionem tradere dicat, non minus possidere cepi, quàm si pedem sinibus intulisset.

Imò probabile est, quòd etiam in absentia rei possessio eius tradi possit, si hæc tria concurrant. 1. Vt nemo alius in possessione sit. 2. Vt ob impedimentum aliquod v. g. aduersarii vires, ad rem accedi non possit. 3. Vt, qui possessionem ita tradit, rei dominus sit, aut liberam de ea disponendi facultatem obtinens. v. g. collator Ordinarius de beneficio vt dixi in *c. Cum aliquibus. 6. hoc. sit.*

Not. II. Si Iudex causam instructam mittat ad superiorem, potest parti vtrique statuere terminum competentem, intra quem comparere debeant, & vt sufficienter causa instructa censeatur, non vnus, sed vtriusque partis attestaciones consignatæ mitti debent, consentit *s. vlt. de accusacionibus.*

Not. III. Si vniuersitas bonorum. v. g. Ciuitas aut Castrum cum pertinentibus, cuius patronatûs annexum est, in pignus seu hypothecæ nomine creditori detur, non transit in eum jus patronatûs, ita vt suo iure aut

PPP

nomin-

nomine præsentationem facere possit, ita *text. capit. juncta gl. verb. patronus*. Ratio dari debet, quia si jus patronatûs hoc casu transiret ad Creditorem, tunc per accidens seu accessoriè transiret vnâ cum ciuitate alienata, seu translata. *argum. c. Ex literis. 7. c. Cùm saculum. 13. de iure patronatûs*. At verò per pignoris constitutionem res tradita non alienatur, aut transfertur quoad dominium vile, cùm creditor fructus pignoris in sortem computare debeat, ideòque eorum percipiendorum jus non habeat. *c. 1. de vsuris*. At verò is, cui ad tempus non breue vniuersitas bonorum v. g. castrum cum annexis bonis locatur, is dominium vile acquirere censetur, consequenter alienatio quædam fit, quacum etiam jus patronatûs accessoriè transfertur, vti docui *l. 4. tract. 2. c. 13. n. 21.*

Exinde porrò videtur sequi, si quis per contractum non merè antichrifeos, sed adiecto contractu censuali, aut venditionis cum pacto redimendi ciuitatem. v. g. oppignoratam sibi habeat, ita fructus percipere possit, adeòque dominium vile penes creditorem sit, donec pignus reluatur, iuxta ea, quæ docui *l. 3. tract. 4. de iust. c. 16.* hoc casu jus patronatûs transire ad creditorem, vt proinde ipsi præsentatio, sicuti & alia jura, interim competant, cùm penes ipsum est ciuitatis possessio per modum hypothecæ.

¶ Notand. IV. Ex eo, quòd aliquis pensionem annuam percipit, quæ patrono dari solet iuxta foundationis tenorem *c. Verùm. de conditionibus appositis*. non constituitur in possessione juris patronatûs, ita habetur in textu. Ratio est, quia fieri potest, vt pensionem percipiat non tanquam patronus, sed ex alio titulo, videlicet non suo nomine, sed alieno tanquam ex hypotheca, ideòque pensiones in rationem acceptæ fortis computare debeat, vel quia ipsi pensio fructuum locata, aut donata fuit sine jure ac titulo, in quo fundatur. Nam sic Parochus. v. g. ad aliquot annos, aut vitam suam decimas alicui locare potest, quamuis jus parochiale, cuius ratione decimæ percipiuntur, in alterum transferre haud possit.

Neque his obstat *c. Cùm venisset. 9. de restit. spoliatorum*. vbi significatur, quòd per receptionem pensionis ex Ecclesia possessio eius acquiratur, quia id duntaxat verum est, si alicui pensio debeatur, tanquam jus habenti in Ecclesia, vt apparet ex *cii. cap. Quare & nos fatemur*, si alicui pensio ratione foundationis debita tanquam Patrono soluitur, quòd in possessione juris patronatûs per id constituatur, tamen si fortasse nunquam præsentauerit, neque alium actum patroni proprium exercuerit, nam sicuti in corporalibus rebus ad possessionem totius fundi acquirendam sufficit vnâ eius partem ingredi animo capiendi totum *l. 3. in princip. ff. de acquirenda possessione*. Ita etiam in rebus incorporalibus seu iuribus satis est vnum eorum actum exercere animo capiendi seu possidendi jus integrum *argumento. l. Vna est. 18. ff. de seruitutibus prædiorum Rusticorum*.

Vel dici potest cum *Abbate. hic. n. 87.* ideò creditorem propter pensionis solutionem non fuisse positum in possessione juris patronatûs, quia alius erat in possessione, quem admodum nec colonus alteri soluendo pensionem sine scientia & voluntate domini priuat eum possessione, *argum. l. Quamuis. 46. ff. de acquirenda possessione*. vbi dicitur: tamen si alius animo possidendi ingressus fuerit saltum, tamen priorem possessorem non amittere possessionem, quam diu eam ab altero occupatam ignorat.

¶ Not. V. Si post litis contestationem in absentia alterius partis sententia lata sit, quæ in rem iudicatam post 10. dies transierit, & deinde pars adueniat, audiri amplius non debet, nisi iustam absentia causam sufficienter demonstrat, hoc verò casu sententia rescindi debet, seu perinde haberi, ac si sententia lata non sit, iuxta *l. Quæsitum. 60. ff. de re iudicata*: Vbi dicitur: si rei iudicatæ tempore alter ex litigatoribus febrem habuit, res non videtur iudicata, sin autem impedimentum iustum sufficienter non probetur, tunc ait *Abb. hic. n. 35.* sententiam non statim retractari, tamen allegantem impedi-

men-

mentum admitti, vt infirmet sententiam, seu agat contra sententiam.

Verum hoc generaliter verum esse non videtur, *arg. c. Ex literis. 4. de in integrum restit.* vbi habetur: quod restitutio contra sententiam, si causa iusta absentiae sufficienter probata non sit, in causa matrimonij concedenda sit, ob specialem favorem eius, qui in aliis causis non ita concedi debet, praterquam si insuper praesumptio aliqua sit adversus sententiam, vt in casu huius Capituli, quando attestations vnus tantum partis receptae fuerunt, & quaedam in sententia continebantur, quae aliter se habere constabat, ita *gl. hic. verb. minus. Alex. n. 76.*

CAPITVLVM XIX.

In causis &c.

PARAPHRASIS.

Pontifex in decidendis causis Iuris ordinem & aequitatis vigorem exacte obseruare debet, quia caeteri postea Iudices in causis similibus similiter iudicare debent, praterquam si Pontifex considerata necessitate vel vtilitate dispensatiue aliquid decernendum duxit.

SUMMARIVM.

1. Papa in sententiis ferendis Iuris ordinem seruare debet, ex Iuris quidem honestate tantum illum, qui est ex Iure positiuo; ex necessitate autem, qui est ex Iure naturali & gentium.
2. Sententia lata à Principe Ius facit aliis Iudicibus inferioribus, vt ipsi in causis similibus similiter iudicare debeant.
3. Adducuntur limitationes huius doctrinae.
4. Inferioris Iudicis sententia Iudicialis non est in similibus causarum decisione pro lege communi habenda.
5. Ea tamen frequentata in tribumali parit Ius consuetudinarium, seu stylum curiae, verum non semper & saepe non tam facile.

NOt. I. Summus Pontifex in sententiis ferendis Iuris ordinem seruare de-

bet, est tamen distinguendum, quod Iuris ordo partim est ex Iure positiuo, vt quod libellus scriptus offeratur, litis contestatio fiat &c. Et talem ordinem Iuris Princeps seruat ex honestate, non ex necessitate, quia Princeps eiusmodi legibus non est obligatus, cum per plenitudinem potestatis etiam possit super Ius dispensare. Ait *Innoc. III. in cap. Proposuit. 4. de concess. prebend. & Innoc. IV. in c. 1. de litis contest.* ait: quod coram Papa sufficit partium narrationes fieri sine petitione & litis contestatione, quia praesentia Papae supplet has solennitates. *Cap. 1. de transactionibus;* partim vero Iuris ordo est ex Iure naturali ac gentium, vt quod pars citeatur ac defensio eius admittatur (nisi notorium sit, defensionem nullam competere.) *Clem. 2. hoc tit. l. de vnoquoque. 47. ff. de eodem.* Talia enim Princeps tollere non potest, sicuti notat *Gloss. & Bald. in l. vlt. n. 1. C. de legibus,* vbi distinguendo ait: coram Principe requiritur examinatio & ventilatio veritatis, quae est de Iure gentium, vnde licet solennitates legales non teneatur Princeps obseruare, obseruatio tamen Iuris gentium non debet abesse, quia pertinet ad naturalem aequitatem.

Not. II. Sententia lata à Principe Ius facit aliis Iudicibus inferioribus, ita vt ipsi in causis similibus similiter iudicare debeant, sumptum est *ex cit. l. vlt. vbi habetur:* Si Imperator examinata causa & partibus praesentibus sententiam dixerit, omnes Iudices, qui sub imperio sunt, sciant hanc esse legem non solum illi causa, pro qua producta est, sed & omnibus similibus, consentit *l. 1. C. de constit. Principum.* Quod Principi placuit legis habet vigorem.

Excipiendum est 1. Si Princeps dispensatiue aut ex plenitudine potestatis, prater, aut contra Ius commune iudicauit, ad alios casus similes id extendi non debet, vti hic dicitur, & videri possunt, quae docui *l. 1. tr. 4. cap. 18.*

Excipiendum 2. Si princeps adversus contumacem dixit sententiam, ea Ius inter alios Iudices facere non videtur. *arg. cit. l. vlt. vbi partium praesentia requiritur, & tra-*

dit hinc *Abb. n. 5. Felin. n. 5.* qui tamen bene sublimitat, si causa in praesentia partis sufficienter cognita fuerit, licet postea sententia in absentia partis contumacis lata sit, quod tamen jus facere debet. Ratio est, quia is, qui in toto causae processu praesens fuit, ad sententiam autem non venit, non censetur verus contumax, saltem sententia adversus eum non fertur propter contumaciam, sed ob malam causam, sicut colligitur ex *l. ult. ubi Bald. & gl. C. de contrario iudicio tutela.*

Excipiendum 3. Si sit sententia interlocutoria tantum *l. 3. C. de legibus. junctis gloss. verb. praedictantibus* quae tamen sublimitat, nisi interlocutoria corpori juris inserta sit, tunc enim pro lege habetur. Alia sublimitatio insinuatur in *gl. meum. 9. §. Sed quod prator. verb. colligitur. ff. Quod meus causa.* si Princeps interloquendo jus exponat, declaratio haec vim legis habet.

Excipiendi IV. Si sententia etiam definitiva à Principe lata sit contra jus commune, adversus jus alterius partis; non enim censetur Princeps ita pronuntiasse ad legem vniuersim tollendam, sed in speciali hoc negotio & causa iuriligatoris derogasse, quod solius Principis est, jus vni auferre & alteri dare, sicuti docent DD. in Clement. *quia contingit. de Religios. domib. & monet Abb. hic. n. 4.*

Quæritur de inferioris Iudicis sententia: judiciali num pro similium causarum decisione in eodem foro regula ac veluti lex quaedam esse debeat.

4. Resp. Eius sententiam non esse instar legis communis habendam, cum sit particularis declaratio restricta ad causam & personas, inter quas actum est, seu Iudicii processus institutus, juxta ea quae docui *l. tract. 4. c. 18. not. 2.* Si tamen in similibus causis aliquoties, videlicet quater aut saepius ita iudicatum sit in aliquo tribunali, oriri inde censetur jus consuetudinarium in hoc foro, quod stylus fori, seu stylus Curiae appellatur, & ita colligitur ex *l. Si de. 37. ff. de legibus.* & tradit *Abbas. hic n. 3.* veruntamen si v. g. Dux imperii velit assessores suos secundum jura communia iudicare, illi autem per imperi-

tiam aliter saepe iudicent, non tam facile introducetur stylus fori seu jus consuetudinarium propter defectum consensu in Duce & malam plerumque fidem iudicantium.

CAPITVLVM XX.

Inter.

PARAPHRASIS.

In Monasterio S. Leodii, Monachi elegerunt Abbatem, quam electionem oppugnauerunt Monachi S. Annae, dicentes, sibi jus circa Abbatis electionem competere; haec causa à Pontifice commissa est Iudicibus, coram quibus lis à partibus contestata & in causa processum fuit, cum verò Monachi S. Annae alios Iudices impertrârunt, quod priores ipsis suspecti essent, sed Iudices priores considerantes exceptiones suspicionis friuolas esse, & literas secundas non esse reuocatorias priorum, processerunt in causa, & non obstante, quod Monachi S. Annae appellârunt, confirmârunt electum Abbatem, haec res cum ad Innoc. III. delata fuisset, respondit is, quia prima commissio per secundas literas reuocata non fuit, & suspicionis causae friuolae sint, atque obiectae postlitis contestationem, cum tamen tanquam dilatorias exceptiones antea obicere oportuisset, quando quidem partes coram Iudicibus delegatis iudicium subeundo exceptionibus dilatoriis renuntiare censentur. Accedit quod in secundis literis neque de Sedis Apostolicae priuilegiis Monasterio S. Leodii concessis, neque de processu priorum Iudicium quidquam dictum fuerit, quae tamen si ab impetrantibus fuissent expressa, literas secundas non obtinissent, neque his obstare debet sententia, quae pro Monasterio S. Annae antea lata erat, quae sanè dictis Iudicibus exhibita non fuit, & si exhibita fuisset ita comparata, videlicet infirma erat, vt eâ postpositâ, contra ipsam decreuissent; vel si dicatur aliter Iudices videlicet pro sententia pronuntiaturos fuisse, si exhibita esset,

effet, tum sibi ipsis imputent Monachi, quod non exhibuerunt; nam sub nouorum instrumentorum prætextu lites decise resciscitari non debent. Ob has itaque causas Papa priorum Iudicium factum ratum & firmum esse respondit, eorumque sententiam confirmans, electo Abbati benedictionem saluo iure Diocessani impartitur.

SYMMARIUM.

1. Vnum Monasterium subinde ex iure speciali habet jus electionis actiue, & passiuæ respectu alterius Monasterii.
2. Exceptio recusatoria iudicis suspecti ante litem contestationem more aliarum dilatoriarum exceptionum, ad quas pertinet, & quidem etiam ante has alias omnes proponenda est.
3. Limitatur prædicta doctrina.
4. Impetraturus rescriptum liti ad iudices delegatos à Papa, mentionem facere debet processus instituti ac pendenti coram alio iudice. Nisi in Rescripto contineatur clausula derogatoria non obstante processu.
5. Sententia lata prætextu privilegii postea exhibendi, retractari non debet.

NOT. I. Vnum Monasterium quandoque jus habet electionis actiue erga alterum monasterium sibi subiectum; idemque dicendum de electione passiuæ, ex iure speciali Monasterio superiori competere eam posse, ut videlicet ex ipso aliquis Abbas, aut Prior eligi debeat, c. *Cum dilectus*, s. de consuetudine, c. *Abbate* 25. de verb. signif.

2. Not. II. Recusatio Iudicis tanquam suspecti pertinet ad dilatorias exceptiones, quæ ante litem contestationem proponendæ sunt, imò exceptio recusatoria Iudicis ante alias dilatorias proponi debet, uti gl. *hic not. verb. subeundo*, & legi hic potest Innoc. Ratio est in text. Quia super aliis dilatoriis subeundo iudicium & processum Iudicis, exceptioni recusationis propter suspicionem pars renuntiare videtur, *argum. c. Insinuante*, 25. de officio delegati.

3. Limitandum est 1. Quod recusatio Iu-

dicis, per quam iurisdictio ipsi denegatur, naturaliter antecedit exceptionem suspicionis; quia frustra obiicitur, eum suspectum esse, si iurisdictioe præditus non est, prout *Joann. Andr. hic notat*, n. 12.

2. Nisi quis super alia dilatoria v.g. auctoritate esse excommunicatum, Iudicis cognitionem subeat cum protestatione, ut salua maneat exceptio recusationis propter suspicionem.

3. Nisi causa suspicionis postea superueniat, vel postea cognoscatur, ut sumitur ex *cir. c. Insinuante*.

Notand. III. Si à summo Pontifice rescriptum liti impetretur ad Iudices delegatos, facienda est mentio processus instituti ac pendenti coram alio Iudice delegato, vel ordinario. Ratio est, quia Princeps non facile iudicium coram vno Iudice ceptum auocat ad alium Iudicem, *argum. l. 30. ff. de iudiciis*, ubi ceptum est semel iudicium, ibi & finiti debet, & docet gl. in c. *Ut debitum*, 59. verb. *si dicat de appellationibus*.

Excipe, nisi in rescripto contineatur clausula derogatoria non obstante processu, uti limitat *Alexand. de Nauo. hic. n. 8.*

Notand. IV. Sententia lata prætextu privilegii postea exhibendi retractari non debet. Ita etiam habetur in *c. seq. & docui l. 3. tr. 6. de iust. c. 2. n. 9.*

CAPITVLVM XXI.

Suborta.

PARAPHRASIS.

Controuersia erat inter Episcopum Meldensem & Monasterium Attrebatense, super subiectione eius, partibus coram Pontifice constitutis. Procurator Episcopi petit ipsum restitui in quasi possessionem obedientiæ, & cum per confessionem Procuratoris Monasterii constaret, quod Episcopus olim fuerit in possessione, Innoc. III. iudicauit illum restituendum fore, quia verò Monasterii Procurator privilegium Innoc. II. exhibuit, in quo plena libertas Monasterii expressa erat,

PPP 3

ideò

ided Pontifex causam Sueffionensi Episcopo & aliis quibusdam delegavit, hanc formam, ut, si Episcopus in quasi possessionem obedientiam restitutus rationabile aliquid contra dictum privilegium non attulerit & probaverit, silentium ipsi super Monasterii subiectione indicant. Porro Iudices isti causam examinatam & instructam Pontifici remiserunt, qui ex actis intellexit, quod Episcopus efficaciores rationes contra Monasterium haberet, quia ab Alexand. III. Pontifice pro ipso contra Monasterium latam sententiam esse ostensum est, ea propter subiectionem & obedientiam eidem adiudicavit, ut videlicet super Monasterio tanquam Diocesanus potestatem haberet, ita tamen, ut per hoc Sedi Apostolicæ nullum præiudicium generetur, quo minus, si voluerit, jus suum prosequatur. Quod si quis obicere velit Alexandri III. sententiam repugnare privilegio Innocentii II. hanc objectionem reiicit Innoc. III. vel enim dictum Innoc. II. privilegium exhibitum fuit in iudicio coram Alexandro Papa, vel non exhibitum fuit; si primum, illud reprobande Alexander censendus est; si posterius, sententia lata ab eo prætextu privilegii postea reperti, retractanda non est.

S U M M A R I U M.

1. Confessio Procuratoris in iudicio nocet Ecclesie, debet tamen is esse constitutus à Prælato & Capitulo, si causa Monasterii communis sit.
2. Ad recuperandam obedientiam possessionem, actori satis est ostendere, se olim in possessione fuisse, nunc autem obedientiam sibi negari, adeoque spoliari.
3. Subditi recusantes obedientiam ei, qui in possessione jurisdictionis & obedientiam extitit, tanquam illi subditi non sint, censentur eum spoliare.
4. Spoliatus ante omnia restituere debet, reservata tamen questione proprietatis.
5. Sententia lata pro Episcopo contra Ecclesiam in causa exemptionis, ea non præiudicat Sedi Romana Ecclesia.

6. Princeps sententiam ferens contrariam privilegio exhibitio in iudicio, censetur illud reprobare, aut alia ratione pro infirmo habere.

7. Sententia lata contra Ecclesiam non retractatur ob privilegium, instrumentum, vel aliam probationem postea repertam, sed succurri debet per restitutionem in integrum Ecclesie, imò cuilibet etiam privato in simili casu.

Not. I. Confessio Procuratoris in iudicio nocet Ecclesie, ita *Gl. magna hic.* & dixi de hoc in c. 1. *Ut lite non contestata &c.* opus tamen est Procuratorem à Prælato & Capitulo simul constitutum esse, si causa Monasterii communis sit. *argum. c. 2. de testibus, in 6. ubi gl. verb. Conventum,* ait, quod confessio solius Prælati non nocet Ecclesie, ergo multò minus confessio Procuratoris constituti à solo Prælato nocebit. ita *Abb. hic. n. 1.*

Not. II. Qui agit ad recuperandam possessionem obedientiam satisfaciunt, si ostendit se olim in possessione fuisse, nunc autem personas sibi obedientiam denegare, adeoque spoliare. ita *Abb. hic. n. 2.* & videri potest *Innoc. hic.*

Ratio est: nam qui olim possedit, censetur continuasse possessionem, donec contrarium ostendatur, *cap. Olim. 17. de restit. spoliator.* Idque observandum monet hic *Alexand. n. 4.* quod satis est spoliato si probet se possedisse ante spoliationem; quia præsumitur possessio continuata usque ad spoliationem subsequutam. Quia qui semel possedit, semper censetur possedisse, nisi contrarium ostendatur. *l. Sine. 16. iunct. gloss. marginali noua. lit. H. C. de probationibus.*

Not. III. Hoc ipso, quod subditi ei, qui in possessione jurisdictionis & obedientiam extitit, obedire renunt, tanquam subiecti ipsi non sint, censentur eum spoliare. Ita *Innoc. hic.* & videri possunt, quæ dixi in c. *Auditis. 13. Not. 4. de prescript.*

Not. IV. Spoliatus ante omnia restituere debet, reservata tamen ei questione proprietatis, *cap. 1. de restit. spoliator. iunct. gl. verb. contentionem.* & docui læpius in eodem tit.

Not.

5 Not. V. Si sententia lata sit pro Episcopo contra Ecclesiam in causa exemptionis seu immediatæ subiectionis erga Sedem Apostolicam, ea non præiudicat ipsi Sedi Romanæ; quia inter alios acta aliis præiudicare non debent. *tit. eod. res inter alios acta.*

6 Not. VI. Si Princeps sententiam ferat contrariam priuilegio exhibito in iudicio, censetur illud reprobare seu pro obreptio aut alia ratione infirmo habere, alioquin enim non solet in sententiis ferendis alicuius juri derogare.

Nec obstat, tamen si tale sit priuilegium, quod Papa arbitrato suo auferre posset, quia non præsumitur auferre, nisi sufficienter exprimatur, quandoquidem decet concessum à Principe beneficium esse mansurum. *Reg. 16. in 6.* At verò inferioris Iudicis sententia lata contra priuilegium à Papa concessum pro irrita haberi debet. *argum. 6. Cum venissent. 12. de iudiciis, & docet hic Alex. num. 12.*

7 Not. VII. Sententia lata contra Ecclesiam, non retractatur propter priuilegium aliudve instrumentum, aut probationem postea repertam, veruntamen per restitutionem in integrum succurri debet Ecclesie non minùs, quàm Reipublicæ, iuxta *L. Imperatoris. 25. de re iud.* vbi videri potest *Bart. & gloss. verb. causa*; imò & priuatus quisque propter noviter exhibita instrumenta ex causa generali restitui debet, si ostenderit antea se exhibere non potuisse, secundum *Innoc. in cap. Ultra. n. 2. de testibus.* similiterque si dolo Adversarij factum fuit, quo minùs exhiberentur, sicuti ibidem explicat *Alex. n. 26.*

CAPITVLVM XXII.

Cùm I. & A.

PARAPHRASIS.

Duo Canonici S. Dionysij Remens. ex voluntate & iussu quorundam Con-Canonicorum Abbatem summo Pontifici denuntiârunt, super bonorum dilapidatione, periurio, simonia & aliis quibusdam

criminibus, de quibus infamatus erat, idcirco Inn. III. Episcopo Cathalanensi & aliis à se delegatis mandauit, vt ad Ecclesiam illam personaliter accedentes, tam in capite, quàm in membris corrigenda corrigere, & statuenda statuerent. Porro Iudices isti post recepta Abbatis & Canonicorum iuramenta, Abbatem ab administratione eius Ecclesie per sententiam remouerunt, membrorum correctione dilatâ, quòd eam tunc perficere non possent; quamobrem Procurator Abbatis à sententia illa Iudicum appellauit, petens, vt ea rescindatur, partim quia lite non contestatâ lata, partim quia conspiratorum contra ipsum iuramenta receperunt, & depositionibus coram partibus non publicatis, nec ostensis sententiam pronuntiârunt. His intellectis respondit Innoc. III. si Iudices cognouerint, (qui postea delegati sunt) quod & Abbas probare volebat, conspiratores fuisse, quorum iuramenta recepta sunt, eorumque testimonia priores Iudices in sententia ferenda secutos fuisse, quia alij testes non erant, tunc illorum processum irritantes, ipsi secundum formam priorum literarum procedant; sin autem conspiratores fuisse, ostensum non fuerit, aut tamen si conspiratores fuerint, tamen nihil deposuerint super ijs causis, ob quas Abbas depositus est, vel denique licet deposuerint aliqua, tamen ea etiam per alios testes sufficienter probata sint, tunc Iudicum illorum processum confirmet, etsi enim conspiratores ad testimonium ferendum contra Abbatem admitti non debuerint, tamen ipsorum iuramenta de veritate dicenda super statu domus seu Collegij eius recipi potuerunt, vt ex eorum dictis alia cognoscerentur, quæ ad Abbatem non pertinebant, præsertim eum eo tempore nondum probatum fuerit, eos conspiratores fuisse.

SUMMARIVM.

1. Prælatus Canonicorum Regularium quandoque fuit appellatus Abbas.

2. Ca-

2. *Canonicus Regularis & secularis, vii & Monachus potest agere contra Prælatum infamatum de dilapidatione, vel aliis scandalosis criminibus.*
3. *Si Prælatus de predictis criminibus accusatur, maxime si sine sociis committi non soleant, inquisitio fieri debet super Prælato & Conuentu, exacto ab utroque juramento de veritate dicenda.*
4. *Conspirantes illicitè in aliquem, recipi contra eum in testes non debent.*
5. *Inquisitor à Papa constitutus ad inquirendum, & corrigendum, potest procedere ad priuationem, seu dispositionem.*
6. *Publicatio attestacionum non est de iudiciarij processibus substantia, sed de necessitate præcepti ad illum requiruntur.*
7. *Judice procedente ex officio per modum inquisitionis, non est opus litis contestatione.*
8. *In speciali inquisitione, inquisito negante crimen, fit litis contestatio.*
9. *Sententia iudicis non infirmatur ex probata etiam coniuratione, aut falsitate testium, nisi quoque probatum fuerit iudicem ex eorum attestacionibus sententiam tulisse.*
10. *Conspirator aduersus Prælatum, vel eius inimicus, contra ipsum testari non potest, potest tamen examinari super aliis personis aut rebus ad Prælatum proprie non pertinentibus.*

1 **N**ot. I. Prælatus Canonicorum Regularium quauquam appellatus fuit *Abbas*. In cap. *Cum in Ecclesiis*. 10. de maiori tate dicitur Prior; vltatius tamen Præpositus appellari solet, sicuti ex Regulis S. Augustini constat.

2 Not. II. *Canonicus Regularis & secularis* sicut & *Monachus* agere potest contra Prælatum infamatum de dilapidatione aliisque criminibus cum scandalo junctis, petendo, vt tanquam indignus amoueat. c. *Olim*. 26. de appellacionibus, & videri potest, quod docui l. 4. ty. 5. c. 11. n. 1. & potest denuntiatione hanc facere tam suo nomine, quam vt Procurator sociorum seu fratrum, sicut *Innoc.* hic notat, & *Ioan. Andr.* n. 2. & sumitur ex *Clemen. Religiosus*, vbi gl. id notat verb. con-

sorte. de Procurat. & locum habet quoque in Clericis secularibus, c. *Licet*. 14. l. 24. c. *Veniens*. 15. de accusacionibus.

Not. III. Si Prælatus accusetur de dilapidatione vel criminibus scandalosis, præsertim si talia sint, vt sine sociis committi non soleant, tunc inquisitio fieri debet non tantum super ipso Prælato, sed etiam membris seu conuentu, exacto ab omnibus de veritate dicenda juramento, vt hic, & in cit. cap. *Olim*.

Rationem dat *Alexand.* hic, quia si caput est dolens, cætera membra languent, & qualis est Sacerdos, talis & populus, qualis Rector ciuitatis, tales & habitantes in ea.

Not. IV. Qui contra aliquem conspirauerunt, in testes aduersus ipsum recipi non debent, cum sint inimici eius. cit. loco. 31. & c. *Perinas*. 32. vbi gloss. verb. *conspiraciones de firmoria*; id tamen intelligitur de conspiratione illicita.

Not. V. *Inquisitor à Papa constitutus* ad inquirendum & corrigendum, potest procedere ad priuationem seu depositionem, vt colligitur ex hoc cap. & ex c. *Dilectus*. 26. de rescriptis. & notat hic *Ioan. Andr.* n. 5. & alij, quando absolute dicunt, quod is, cui committitur correctio, beneficio priuare potest.

Not. VI. *Publicatio attestacionum* non est de iudiciarij processibus substantia, licet ex præcepti necessitate requiratur, quemadmodum si Iudex testium depositiones publicare intermittat, pars litigans petere potest, vt publicentur, & Iudice recusante, appellare, ita indicat gloss. hic verb. *nee offensis*. *Bart.* in l. *prolatam*. n. 5. c. de sententiis, vbi ait contra Gloss. *ibidem*, si testibus non scriptis, vel non publicatis sententia lata sit, id esse contra jus litigatoris, non contra substantialem ordinem iudicii, idem tradit *Ioan. Andr.* hic n. 8. *Abb.* n. 11. gloss. in c. *Timor*, verb. *iudicis de haret.* in 6.

Not. VII. Quando Iudex procedit ex officio per modum inquisitionis, opus non est litis contestatione, tamen si aliquis sit, qui crimen denuntiauit, cum & is postea in testem assumi possit, consequenter non sit pro-

propriè accusator aut actor, quocumque lis contestanda sit. Ita colligitur ex text. & notat *Gloss. marg.* hic, quòd in generali inquisitione non fit litis contestatio, in speciali autem inquisitione, vocatur is, contra quem inquiritur, qui si neget crimen, de quo infamatus est, hoc ipso lis contestata censetur; si autem se contumaciter absenter, proceditur contra eum ad testium receptionem. *c. ult. §. sunt & alij. ut lite non contestata, iuncta gloss. verb. inquisitio.*

Not. VIII. Non obstat processui & sententiae Iudicis, quòd inhabilium testium dicta recepta fuerunt, si Iudex ex eorum depositionibus motus non fuit, aut etiam absque eorum dictis seu depositionibus alias sufficientes probationes habuit, ex quibus sententiam iuste ferre potuit. Ita sumitur ex text. Et ratio dari debet ex *Reg. 37. in 6.* quia vitale per inutile vitari non debet, quemadmodum admonet *gl. hic*, quòd ad sententiam infirmendam non sufficiat probare coniurationem aut falsitatem testium, nisi etiam probatum fuerit, Iudicem ex eorum attestationibus sententiam tulisse. *l. 3. Cod. si ex falsis instrumentis.*

Not. IX. Conspirator adversus Prælatum vel inimicus eius licet sit inhabilis ad testificandum adversus ipsum, potest tamen examinari super aliis personis aut rebus ad Prælatum propriè non pertinentibus, quòd maxime habet locum in inquisitione generali, aut cum agitur duntaxat ad correctionem aut poenitentiam, item, si alij magis idonei testes haberi non possint, ita tamen ut si testes illi, qui examinantur, criminosi sint, minor ipsius fides habeatur, vide *gloss. final. hic. Abbas. n. 22. Alex. n. 36.*

CAPITVLVM XXIII.

Cùm Te.

PARAPHRASIS.

In contentione quadam verborum H. de Castro Guarti dixit Bartholomæo, equum eius non maioris esse valoris, quam capillos ipsius; ea propter ab eodem Bar-

tholomæo actione iniuriarum convectus fuit, tunc Iudices ipsum in 10. solidos condemnarunt. H. veritus, ne ex hac sententia infamiam contraxisset, beneficium restitutionis ad famam à Sede Apostolica petiuit; tum Papa Innoc. III. perpendens, quòd nulla, aut exigua ipsi Bartholomæo facta esset iniuria, vult ut H. ob prædictam sententiam infamiam non notetur.

SYMMARIVM.

1. *Damnatus in actione iniuriarum infamis est, licet sit iniuria parua.*
2. *Oppositum docet Glossa, dum pro modico negat actionem iniuriarum dari.*
3. *Papa civilem infamiam seu pristinae fame restituere non potest laicum jurisdictioni sua temporali non subditum. Nisi forte ei necessarius sit in Clericatu.*
4. *Cautela pro eo, qui ob iniuria vel furti crimen ad iudicium vocatur, ut infamiam vitet, quod fit mittendo procuratorem, si civiliter agatur, non item si criminaliter.*
5. *Resolvitur questio, ad quem pertineat, notatum infamiam in integrum restituere.*

Notand. vnicum. Qui actione iniuriarum damnatus est, infamiam juris contrahit *l. Athletas. 4. §. ult. ff. de his, qui notantur infamia, & docui l. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. n. 1.* Idque extendi debet, tametsi parua fuerit iniuria, quia ipsamet sententia de tali crimine civiliter infamat, sicut ex hoc text. colligitur, & docet *Innoc. in principio hic. Ioan. Andr. n. 5. Abb. n. 6.* cum enim à Pontifice postulatum esset, ut condemnatum fame restitueret, ipse non respondit, restitutione nulla opus esse, sed restituit dicendo, nolle se, ut infamiam notatus sit, & pro ratione, quòd libenter ac facile restitutionem faciat, eam afferit, quia nulla, aut minima iniuria erat. Cæterum, si constaret, iniuriam nullam irrogatam fuisse, tum irrita esset sententia Iudicis, & consequenter infamiae effectum non produceret. Confirmatur hæc doctrina ex eo, quia etiam de modico seu minimo furto condemnatus juris infamiam contrahit. *c. ult. causa. 24. q. 6. & §. Gallinarum. Instans. de rerum divisione.* Contrarium tamen docet hic *Glossa verb. mini-*

minima, quòd pro modico non datur actio iniuriarum, & *Durand. in speculo p. 3. tit. de integrum restituit. §. 5. n. 7.* vbi ait: Papam hìc declarasse nullam aut minimam fuisse iniuriam, ideòque infamiam non contractam, sed retentam communi sententià: Dico Papam considerasse, aut nullam fuisse aut minimam, & ideò optimè respondisse, nolle se, vt H. infamià notatus sit, quia si nulla fuit iniuria, sententia Iudicis irrita est, si aliqua, sed minima seu modica, tum facilem restitutionem condemnatus mereri debet.

3 Exinde colligitur istum A. temporali iurisdictioni Pontif. subiectum fuisse, alioquin ciuilem infamiam ab ipso tollere, seu pristinae eum famae restituere non potuisset, sicuti docet *gloss. recepta. hìc. verb. volumus. Gratian. sup. cap. Euphemium. 7. causa. 2. q. 3.* Cùm enim talis infamia per ciuilem potestatem irrogata sit, per eandem tolli debet, sicuti *gloss. monet in citato cap. Euphemium. ibid. Archidiacon. n. 4.* quòd nec Papa restituere potest Laicum non subditum Iurisdictioni suae nisi fortè ei necessarius sit in Clericatu, prout etiam notauit *in cit. c. 4. n. 3.*

4 Porro *Gl. hìc. verb. infamia.* cautelam tradit, si quis ob iniuriae aut furti crimen in iudicium vocatus, infamiam vitare velit, vt Procuratorem mittat. *arg. l. furti. 6. §. Si quis alieno. ff. de his, qui notantur infam. a.* vbi dicitur: Si Procurator in actione furti condemnatur, neque ipsum Procuratorem, cùm alieno nomine condemnatus sit, neque principalem infamià notari. vbi *gl. verb. Procurator. monet*, id verum esse, si ciuilitè actum sit de furto, non item, si criminaliter, quia in iudicio criminali ordinariè non admittitur procurator, aut si admittitur, condemnationis sententià aduersus eum concipitur, qui Procuratorem misit. *l. ult. C. De iniuriis.*

5 Disputant hìc Canonistae, ad quem pertineat, iuris infamià notatum in integrum restituere, & respondent; Quòd ad Principem pertineat, qui in ordine ad spiritualia est summus Pontifex; in ordine verò ad ciuilia & erga proprios subditos, est Imperator, Rex, aut Respub. libera, nullumque superiorè agnoscens. ita etiam docet *Bart. in l.*

1. §. de qua. ff. de postulando. vbi tamen addit 1. Etiam Cardinalium Collegium famae restituere posse in ordine ad spiritualia, quod etiam sentit *Felin. hìc. n. 11. Imol. n. 8.* Sed contrarium rectius docet *Abb. hìc. n. 12.* quia Cardinales absque Papae commissione non exercent vllam iurisdictionem, praeterquam in Ecclesiis suorum titulorum, sed neque mortuo Papa exercent aliquam iurisdictionem, quae ad sedem Pontificiam spectat. *Clemen. ne Romani. de Electione. & docui. l. 1. rr. 4. c. 7. §. 7.*

Addit 2. Bartolus, si infamia irrogata sit per statutum singulare. v. g. alicuius ciuitatis, tum etiam inferiorem Principem. v. g. Rectores ciuitatis famae restituere posse, cùm nihil tam naturale sit, quam vt eadem potestate, quae res colligata est, etiam dissolui queat, *Reg. 35. ff. idque notat etiam Abb. hìc. n. 23.*

CAPITVLVM XXIV.

Ad probandum.

PARAPHRASIS.

Cùm in Monasterio Monialium Hesiensi, vacante Sede, duae in discordia electae essent Abbatissa, Custos, & alia Monialis; Papa causam hanc quibusdam delegauit, eam formam, vt examinatis electionibus eam confirmarent, cuius electio Canonica videretur. Iudices illi delegati Custodis electionem per sententiam definitiuam approbârunt, à qua altera electa appellauit, seu potius per viam nullitatis causam ad Romanam Sedem deduxit, asserens: quendam ex Iudicibus tempore latae sententiae fuisse publico excommunicationis vinculo irretitum; Quapropter Innoc. III. causam aliis quibusdam Iudicibus committit, mandans eis, vt de valore sententiae priorum Iudicum cognoscant, ita vt, si intelligant eam vel ex dicto capite excommunicationis in vno delegatorum Iudicum (prout etiam Metropolitanus testatus fuit) existentis, vel ex alia causa invalidam, aut infirmam esse, tunc eandem

eandem infirmant, & de Custodis electione iterum cognoscant, alioquin verò priorum Iudicum sententiam confirmant.

S Y M M A R I V M.

1. Gestà à iudice notoriè excommunicato irrita sunt.
2. Irrita est sententia lata à pluribus coiudicibus quorum iurisdictione priuatus est, vel saltem impeditam habet iurisdictionem.
3. Cassatâ confirmatione, non ideò invalida censenda electio; hac tamen invalidâ, etiam invalida est confirmatio.
4. Propter iudicis excommunicationem, antecedentia iudicii acta irrita non sunt, nisi causa irritandi acta efficiat, vel sententia lata fuerit die festo.

NOT. I. Gestà à Iudice excommunicato irrita sunt, si excommunicatio eius publicè nota sit, ex quo per sensum contrarium valitura acta, si excommunicatio eius occulta sit. *arg. l. Barbarius. 3. ff. de off. Pratorum,* & habet id etiam locum in Iudice delegato, sicuti ex hoc cap. colligitur. & docui *l. 1. tr. 4. c. 22.* videri potest *Felin. hic.*

NOT. II. Irrita est sententia lata à duobus vel tribus tanquam Coiudicibus, quorum vnus iurisdictione priuatus est, aut eam impeditam habet, vt hic & *in c. Cum super. 23. de off. delegati.* Ratio est, quia omnes iudicare iussi sunt. *c. penult. junct. gl. verb. delegatorum. eodem tit. de off. delegati.* Aut saltem si clausula adiecta fuit, *si non omnes &c.* voluerunt omnes iudicare, quod facere non potuerunt, sicuti explicauimus *in cit. c. Cum super.*

NOT. III. Cassatâ confirmatione, non ideò etiam electio censi debet irrita. *c. Si confirmationem. 39. de electione in 6.* Contra verò si electio irrita sit, non potest valere confirmatio, quia non confirmatur, quod non est, sicuti dixi *cap. Cum inter. 13. h. tit.*

Querunt, si sententia irrita sit, v.g. propter iudicis excommunicationem, num etiam antecedentia iudicii acta corrumpere debeant. Resp. Si causa irritandi acta non efficiat, acta non debent censi irrita. v.g.

si excommunicatio post acta ante latam sententiam contra acta sit à Iudice, vel si sententia lata fuerit die festo, prout notauit Bart. communiter receptus *in l. Si expressis. n. 1. ff. de appellationibus. Abb. hic. n. 6.*

CAPITVLVM XXV.

Quamuis.

P A R A P H R A S I S.

Ordinariè res inter alios iudicata, aliis nocere non debet, licet excipi debet. 1. Si Titius, cui principaliter actio, vel defensio competebat, passus est alium agere, tunc res iudicata ipsi obest. 2. Si Titius passus est eum, à quo causam habet, in iudicio agere, sententia contra eum lata etiam Titio præiudicium generat.

S Y M M A R I V M.

1. Ampliatur Regula, quòd res inter alios acta, aliis nocere non debeat.
2. Limitatur aliquot limitationibus eadem Regula.
3. Adduntur exceptiones Casuum, in quibus prædicta Regula locum non habet.

Habemus ex hoc Capitulo vnâ Regulam, & duas exceptiones notandas, regula sumpta *ex tit. Cod. quibus res iudicata non nocet,* & ampliari debet. 1. Quòd res iudicata alteri non nocet, tametsi alius causam eius egit, tanquam persona coniuncta, licet absque mandato, iuxta *l. 1. C. eod. tit.* vbi habetur, quòd sententia lata contra personam coniunctam absque mandato agendi, aut defendendi causam tuam, tibi non nocet, nisi postea ratum habueris, quod actum fuit.

Ampliatur 2. Quòd nec probationes in iudicio factæ contra vnum, alteri, vel in ordine ad alteram personam præiudicare debent. *c. Inter. 6. verb. nec attestations. de fide instrument.* Similiter nec confessio in iudicio facta nocet confitenti erga aliam personam, quâcum actum non est. *l. ult. ff. de interrogatoriis actionibus,* vbi habetur, quòd

responsio facta in iudicio non praeiudicat Respondenti, nisi interrogantis respectu.

Ampliatur 3. Quod neque vice versa sententia pro vno lata, alteri, vel ipsi, pro quo lata est adversus alterum profit, quocum in iudicio actum non est, *l. 2. C. quibus res iudicata*, ubi dicitur, res inter alios iudicatae, neque emolumentum afferre debent his, qui in iudicio non interfuerunt.

Rationem horum reddere debemus, quia partes litigantes, quasi contrahunt inter se in ordine ad hunc iudicem; ergo sicuti contractus eos tantum obligat, qui in eum consenserunt, non alios, ita etiam ex illo quasi contractu litigantes tantum, non alij obligationem acquirere debent.

Limitari debet Regula 1. Tamen si alteri praeter litigantes sententia aliaque iudicii acta plenum praedictum non afferant, tamen praesumptionem gignere possunt contra alterum. *argum. l. Si duo. 13.* ubi id notat *Bart. & gl. verb. habiturum. ff. de iurciurand.* Ex quo colligit *Alexand. hic. n. 3.* Quod sententia lata contra vnum. v. g. adulterum, vel simoniacum, nocet alteri consorti quoad inducendam infamiam facti, ita ut possit ei iudici purgatio Canonica. *c. Significasti. s. junctam gloss. verb. praefata. de adulterio.*

Limitari debet 2. Si ij, quorum interest, in iudicium legitime vocati non advenerint, praedictatur ijs, sicuti tradit *Alexand. hic. n. 60. & 63.* ubi ait: bonam hanc esse cautelam ut actor faciat eos, quorum interest, citari specialiter, aut per edictum generale, ut sententia definitiva ijs obsit, dummodo citatio ad ipsos pervenerit, aut per ipsos steterit, quominus perveniret.

Exceptio 1. in hoc consistit, si aliquis, ad quem principaliter actio, aut defensio causae pertinet, alterum agere permittit, tunc sententia ei nocet. *l. penult. ff. hoc tit.* Ratio est quia is, ad quem principaliter causa pertinet, potest removere litigantem a iudicio, & se in locum eius substituere, consequenter si tacet, consentire videtur, juxta *Reg.* quod tacens consentire censetur, si ad ipsum, si consentire nolit, pertineat prohibere. Exemplum affertur in *cit. l. penult.* si ti-

bi pro debito fundus oppignoratus sit, de cuius dominio tertius litigare velit; ad debitorem tuum 1. loco pertinet causam agere, aut defendere; quia eius principaliter interest, quandoquidem si fundus euius sit, tibi vel solvere, vel aliud pignus contraria pignoratitia actione potest cogi. *l. tutor. ib. §. contrariam. ff. de pign. actione.*

Quare si in tali casu debitor patiatur creditorem in iudicio litigare, non praemissa protestatione, id ipsi nocebit. Neque obstat his, quod Bartolus obiicit, Creditorem posse agere hypothecaria actione adversus tertium possessorem, etiam prohibente debitore, quandoquidem etiam contra ipsum debitorem agere potest. *l. Cum notissimi. 7. C. de praescriptione. 30. annorum.* Respondetur enim, quod nihilominus debitor, quatenus in tali iudicio de dominio rei disputatur, se ingerere possit, causam suam (quippe cuius principaliter interest, & qui de iure suo optime omnium scire ac docere potest) defenditur, sicuti *Butrius & Abbas hic docent. n. 9.*

Exceptio 2. Talis est, si alterum, a quo causam habes, passus es in iudicio agere, aut defendere, sententia contra eum lata, tibi nocet. *cit. l. penult. ff. de re iudicat.* Exempla sunt, si vxor, vel socer in iudicio agere vel causam defendere permittantur circa res dotales, sententia contra eos lata praedictat marito, quia causam ab iis habet, similiter si Emptor permittat venditorem causam agere, aut defendere, circa rem venditam, quippe a quo ipse Emptor causam habet, seu jus accipere debuit, si quod illi compete- bat, quandoquidem si venditor Dominus rei non fuit, neque emptor esse potest, eademque ratio est, si debitor contendat de dominio rei oppignorato & succumbat, nocebit id creditori, cum causam pignoris habeat a debitore.

Requiritur tamen ut is, qui ab altero causam habet, sciuerit causam agi, & passus sit, sicuti *Bart. monet in cit. l. Et videri potest Innoc. hic. colum. 2.*

Simili ratione si agatur de invaliditate praesentationis, Electionis, vel collationis, & sen-

& sententia feratur contra præsentatorem, electorem, collatorem sciente & patiente præsentato, electo, aut prouiso, præiudicat ipsi, quippe qui causam & jus habet à præsentatore, electore, collatore. Sed alia ratio est quoad pœnam, si videlicet ordinator vel collator per sententiam punitus sit, quia Simoniacum, vel adulterum Clericum ordinari, aut inuestierit, sententia non præiudicat ordinato, aut prouiso, quoad plenum præiudicium, præterquam si crimen Simonie inter utrumque commissum declaratum sit notorium, tum propter connexionem Iudex ex officio alterum quoque punire potest, teste *Alexand. hic. n. 10.* & constat *exc. Ad nostram. 71. de iureiurando.*

His adde, quòd etiam vice versa si controuersia nota sit electo, aut prouiso, quòd electionem, aut collationem legitime non acceperit, videlicet non ab habente potestatem, nocet id electori, aut collatori scienti & patienti causam agi, vñ colligitur *ex or. l. penult. juncta gl. non à marg.* vbi dicitur: si contra libertum seu à me manumissum sententia de statu feratur, quòd videlicet alterius seruus sit, id obesse mihi scienti & patienti causam hanc agi, & ita docent Canonistæ hic & *gl. inc. 3. dist. 81.* præiudicat ordinatori sententia lata contra ordinatum, quando præfens est & scit causam agi: cum enim quasi sua causa agi videatur (eius enim principaliter interest) & tacet, nec defendit causam, sibi præiudicat, juxta primam traditæ regulæ exceptionem.

Veruntamen hæc ipsa doctrina limitanda est, vt intelligatur, quatenus causam & jus accepit prouisus à collatore, vt si circa illud ipsum, quatenus ab eo proficisci potuit iudicetur pro aut contra prouisum, id etiam pro sit, aut obsit collatori, sicut colligitur *exc. Cum olim. 7. de causa possessoris.* Et notat hic *Alex. n. 12.* nam prouisus idèd jus suum consequitur, quia collator fuit in possessione juris conferendi, tamen si fortasè jus istud secundum proprietatem non habuerit, consequenter scripto, aut contra prouisum sententia lata sit, prodesse, aut obesse debet collatori in possessorio, saluà interim qua-

sione proprietatis, sicuti constat *ex cit. c. Cum olim.* & monet *Abbas. hic. n. 23.* Quamuis secundum hanc eius cap. explicationem quæ valde conformis est, non apparet ratio, cur Pontifex hic alleget axioma, res inter alios acta & c.

Aliæ exceptiones à Regula, seu casus, in quibus res iudicata alteri absenti & non contententi prodest, aut obest, videri possunt in *gloss. hic. verb. res inter alios;* & apud *Abbat. & Alexand. hoc loco.*

CAPITVLVM XXVI.

Duobus.

PARAPHRASIS.

Si duo Iudices diuersas sententias proferrunt, distinguendum, num sint ordinarii, delegati, an arbitri; si ordinarii sint, valet sententia prolata pro reo, non pro actore, exceptis causis fauorabilibus, matrimonii, libertatis, dotis, testamenti. Si delegati iudices, sententia pendet ex arbitrio delegantis. Si denique tanquam arbitri, seu ex compromisso, neutra sententia vigorem habet.

SUMMARIUM.

1. Si duo iudices Ordinarij, pari potestate in solidum præditi, sententiam dicant diuersam, præualet illa, quæ lata est pro Reo.
2. Ampliatur hæc doctrina ad plures eiusmodi iudices, v. g. si quatuor vel sex illorum æquali numero in sententia discordent.
3. Ampliatur etiam ad probationes, vt si hæ plures sint ex vtraque parte, pro Reo sententia sit ferenda absolutoria.
4. Excipitur tamen ab hac generali doctrina: nisi causa fauorabilis sit, v. g. dotis, de testamenti & matrimonij valore, vel quacunque alia.
5. Et quidem in causa valoris matrimonii indubitatè hoc verum est, si impedimentum præsumptum ex iure positivo existat, non item tamen, si ex iure naturali, aut diuino juxta *Abbatem & Felinum.*
6. Oppositum sentit author.

7. In casu quo uterque coniux malà fide matrimonium contraxit, & post diligentem veritatis inquisitionem, dubium deponere non possunt, an & quomodo licitum ipsis sit coniugio uti?

8. Si duo iudices delegati discordes sint in sententiis, causam instructa mitti debet ad delegantem.

9. Si arbitri, vel arbitratores; nulla earum valet, nisi compromissum sit adiecta clausula, ut unius sententia separatim lata valere possit, tum idem seruandum, quod de ordinariis iudicibus cautum est.

1 Quod ad primum horum attinet, exemplum dari potest in duobus Episcopis, Vicariis generalibus, aut duobus Ciuitatis Consulibus, actualementem jurisdictionem in solidum habentibus, si diuersas sententias in aliqua causa ferant, eius præualebit, quæ pro reo lata est: nam fauorabiliores Rei, quam actores habentur, *Regul. 125. ff. Et promptiora jura ad absolendum, quam ad condemnandum. c. 3. de probationibus.*

2 Ampliari debet 1. Si 4. vel 6. Iudices pari potestate in solidum præditi sententiam dicant, duo vel tres pro actore, alii verò duo aut tres pro reo, horum sententiam præualituram. *l. Junia. l. 24. ff. de manumissionibus.*

3 Ampliari debet 2. Quod hic dicitur de sententia, idem sentiendum est de probationibus, ut si pares ex vtraque parte videantur, pro reo sententia absolutoria ferenda sit.

4 Exceptio verò à regula est, nisi causa fauorabilis ex parte actoris sit, videlicet, si quis agat pro matrimonii valore, pro dote, pro libertate, pro valore testamenti. Et quod hic dicitur de sententia, idem censeretur debet de probationibus, videlicet testibus, nam dispari numero ac qualitate pro vtraque parte productis, hoc casu pronuntiandum esse pro libertate, habetur expressè in *cit. l. Junia.*

Amplia Exceptionem, quòd similiter locum habere debet in aliis fauorabilibus causis, quæ hic numeratæ non sunt, nam 4. casus afferri videtur loco exempli, quæ autè loco exempli afferuntur, traditam doctrinam

non restringunt, sed ostendunt, quòd etiam in aliis similibus locum habere debeat, *arg. c. 1. no Clerici. vel Monachi. Quare gl. in l. 1. verb. iudicati. C. de conduct. indebiti. Abbas. hic. n. 17.* aiunt, quòd casus excepti à regula extenduntur ad casus similes, *arg. c. Cum dilecta. 4. de confirmatione utili. & docui l. 1. §. 4. c. 18. n. 9. §. Ceterum.*

Vnum hic admonendi sumus, quod dictum est, causam fauorabilem censeretur, quæ pro matrimonii valore est, id indubitè verum esse, si impedimentum, quod prætenditur, ex jure positivo existat. *l. licet. 47. de testibus.* sin autem ex jure naturali, aut diuino, ut si disputetur, num impotentia coniugis subsit, aut consanguinitas, vel affinitas in 1. gradu. *hoc casu. capit.* huius doctrinam locum non habere tradit *Abbas. in cit. c. Licet enim. 5. & inclinatur Felin. hic. col. 2.* existimantes, si probationes pares sint, & res post omnimodam examinationem verè dubia maneat, pro reo pronuntiandum esse, quia cum ex vtraque parte periculum violandi juris diuini, cuius maximus fauor esse debet, hoc loco urgeat, vnus fauor alterum debilitat, ideòque jus ordinarium seruandum est, videlicet si partium jura dubia sint, pro reo pronuntiandum esse.

Sed arbitror contrarium esse dicendum, quia cum jura non distinguant, neque nos distinguere debemus.

Accedit quòd post matrimonium, maxime si in facie Ecclesiæ celebratum sit, jus est acquisitum contrahenti, quo priuari ipse non debet in causa dubia. Quemadmodum etiam in conscientia foro, stante tali dubio, coniugij debitum exigi potest à coniuge, dummodò dubium valoris postea superuenierit, adeòque bona fide matrimonium contractum sit à coniuge debitum petente.

Sed quid si uterque Coniux mala fide, videlicet cum dubio intercedentis impedimenti matrimonium contraxit, & post diligentem veritatis inquisitionem, dubium deponere non possunt, licitumne est ipsis coniugio uti? Dicendum, si vtrinque sint probabiles rationes, res incerta ac dubia tam in externo, quam in interno foro dubia

bitum practicè deponi posse, ex eo principio, quòd in causa dubia pro matrimonii valore præsumendum sit, licet hoc casu favorem non mereantur contrahentes, cum bonæ fidei possessores non sint; ipsum tamen matrimonium, si in facie Ecclesiæ contractum sit, talem favorem mereri debet; quæ videtur esse doctrina *Henriquez l. 11. c. 11. n. 5. in fine*; licet aliter discurrat *Sanch. l. 2. de matrim. disp. 42.*

8 Quod ad alterum attinet, si duo Iudices delegati discordes sint, seu diversam sententiam ferant, vnus pro actore, alter pro reo, tunc causa instructa remitti debet ad superiorem, seu delegantem. *c. Per hoc. 17. de heret. in 6. qui vnam earum, quæ iusta ipsi videbitur, confirmabit, sicuti expressius habetur in l. 28. ff. de re iud. duo Iudices dari diversas sententias dederunt, Modestinus respondit, vtramque sententiam in pendentem esse, donec competens Iudex vnam earum confirmavit. videri potest gl. in authentica, vt Iudices non expectent coll. 9. v. sententiam.*

Ex his colligit *Abb. hic. n. 4.* Si duo officiales Collegæ sint ordinaria potestate præditi, tum valere sententiam, quæ ab vno lata est pro reo, præterquam si causa favorabilis sit. Sin autem sint delegati, tum in delegantis arbitrio est, num vnam earum sententiarum approbare velit, cum etiam possit causam alij denuo cognoscendam committere, quandoquidem sententia ab vno absque altero lata irrita est, *iuxta c. Causam. 16. & c. penult. de off. deleg.*

At verò in aliis rebus ordinandis, si duo Domini, ordinariam potestatem seu iurisdictionem pro indiviso possidentes non consentiant, tunc superior providere deberet, vt alternis temporibus. v. g. annis potestatem exerceant, secundum *Gloss. c. licet. 5. verb. conuenit. causa. 16. q. 3.*

Quod ad tertium attinet, si arbitri aut arbitratores in sententia discordent, seu diversas sententias proferant, nulla earum valet. Excipe nisi compromissum sit, adiectâ clausulâ, vt vnus sententia separatim lata valere possit, *iuxta l. Non distinguemus. 32. §. Cum in plures. ff. de arbit.* Nam hoc casu

idem seruari debet, quod de ordinariis Iudicibus, supra dictum est, sicuti *Alex. hic notat n. 12.*

EIVSDEM TITVLI IN VI.

CAPITVLVM I.

Cum æterni.

PARAPHRASIS.

Si Iudex Ecclesiasticus ordinarius vel delegatus in grauamen alterius litigantium partis aliquid contra iustitiam & propriam conscientiam egerit ex fauore, aut per sortes, videlicet pecuniâ corruptus, præter alias pœnas per annum ab officij executione suspensus manet, & ad litis æstimationem parti, quam læsit condemnandus; quòd si suspensione durante temerè se diuinis ingesserit, irregularitatem iuxta Canon. sanctiones contrahat, à qua eum liberare nemo poterit præter Rom. Pontificem, aliis quoque constitutionibus, quibus Iudici malè iudicanti pœnæ infliguntur, in suo vigore permanentibus.

SYMMARIVM.

1. Constitutio hac noua & pœnalis ideòq; strictæ interpretationis fertur contra iudicem Ecclesiasticum ordinarium (non autem Episcopum) & delegatum.
2. Ad pœnam eius incurrendam requiritur, vt iudex partem litigantem grauet, & vt id faciat iniuste & contra conscientiam.
3. Suspendio qua fertur contra iudicem Ecclesiasticum, intelligi debet ab officio simpliciter, hoc est, ab exercitio ordinis & iurisdictionis.
4. Iudex malè iudicans, litem suam facit, & si per dolum malè iudicauit, etiam infamis efficitur.
5. In causa criminali confiscatis bonis in exilium mittendus est iudex, qui dato vel promisso aliquo se corrumpi passus est.
6. Si per imprudentiam vel imperitiam malè iudi-

judicavit iudex, ex quasi delicto obligatur, & ad litem estimationem parti laesa pro ratione culpa.

7. *Actio in factum, quae conveniri potest iudex male judicans, non pendet ab appellatione: quae etiam pendente, locus est huic actioni.*
8. *Predicta de iudice locum etiam habent in rebellionem male conscientiae instrumenta.*
9. *Poenam suspensionis ab officio non incurrit iudex, si ob imperitiam male iudicavit, putans tamen se recte iudicare.*

CONstitutio haec nova est & poenalis, quamobrem strictam interpretationem meretur, ut ultra terminos verborum secundum iudicium eorum acceptionem non extendatur. Itaque fertur contra Iudicem Ecclesiasticum ordinarium & delegatum, sed non comprehenduntur Episcopi, iuxta *6. Quia. 4. de sent. excom. in 6.*, ubi cautum est, quod Episcopi nullam suspensionis aut interdicti sententiam incurrunt, nisi eorum expressa mentio fiat. Neque comprehenduntur arbitri & promissarii, nisi arbitri iuris. *arg. l. Si quis. 29. C. de pact.* Quia in locum iudicum succedunt, eorumque arbitria ad formam iudiciorum omnimode redacta sunt, & ita notat hic *Monach. n. 8. gl. verb. in iudicio. Durand. in specul. l. 1. p. 1. de arb. §. 1. n. 6.* Neque locum habet constitutio in auditore & executore, sicut *Ioan. Monach. & gl. sit. loco. testantur.*

2 Denique tria requiruntur ad poenam huius constitutionis incurrendam, videlicet ut Iudex partem litigantem grauet seu laedat, & ut id faciat iniuste & contra conscientiam; quia alterius partis favorem, pecuniae largitionem, aliamque odii, vel timoris affectionem praefert veritati ac iustitiae. vide *gl. hic. verb. per sortes*, & quae dicuntur in *l. filiusfamilias. de iudiciis.*

3 Not. I. Si contra Iudicem Ecclesiasticum feratur suspensio ab officio, intelligi debet de officio simpliciter, ut ab exercitio ordinis, ac iurisdictionis (non item a beneficiis, teste *gl. hic. verb. beneficiis*) suspensus sit, adeo, ut violando hanc censuram, irre-

gularitatem quoque contrahat, convenienter iis, quae dixi. *l. 1. tract. 5. p. 3. num. 2. §. tamen si.* Alioquin si ab officio tantum iudicandi suspensus esset, non ideo prohiberetur officia diuina celebrare. Deinde si ita suspensus aduersus prohibitionem ipsi factam iudicandi munus exerceret, irritum quidem esset, quod ageret, irregularitatem tamen non contraheret, cum ea non ob quamvis censurae violationem decreta sit, sed tantum si talem censuram violet, ratione cuius a celebratione, aut ordinis alicuius exercitio prohibitus, uti constat ex *tototit. l. 5. decretal. de cler. excom. aut suspensio ministrante. & notat Suar. de censur. D. 42. f. 1. n. 1.*

Not. II. Si Iudex male iudicaverit, litem suam facit. i. e. contra ipsam agi potest actio in factum ad litem estimationem.

Verum distinguendum hic est, vel enim per dolum male iudicavit, hoc casu infamis efficitur & estimationem litem, i. e. quantum interest partis, iniuste contra ipsam iudicatum fuisse, in solidum praestare cogitur. *l. filiusfam. 13. ff. de iudiciis. & l. ult. C. de poena iudicis qui male iudicavit.*

In causa autem criminali confiscatis bonis in exilium mittendus est Iudex, qui dato vel promisso aliquo se corrumpi passus est *authent. nouo iure C. eod. tit.*

6 Vel per imprudenciam aut imperitiam male iudicavit Iudex, credens tamen se recte iudicare, tunc non proprie ex delicto, sed quasi ex delicto obligatur, & ad litem estimationem seu damnum & interesse parti laesae praestandum condemnandus est non absolute, sed prout considerata culpa videbitur ei, qui de hoc iudicaturus est. *cit. l. filiusfamilias. l. Si quis. 5. §. Si iudex. ff. de obligationibus & actionibus. l. ult. ff. de variis cognitionibus. Insti. de obligationibus ex quasi delicto, principio, & videtur potest Bart. in l. 2. n. 2. C. de poena iudicis.*

7 His addendum est I. Quod haec actio in factum aduersus Iudicem dolo aut per imperitiam male iudicantem non pendeat ab appellatione, quia tamen appellationi renuntiatum sit, aut dies ad appellandum dati transierint, tamen contra iudicem agi potest sicuti

ficuti pluribus relatis docet *Gal. l. 1. obseru. 153. num. 2.* sed & pendente appellatione Iudicem actione ista conueniri posse, si malè iudicauit, vel aliàs grauauit, v. g. probationes, vel defensiones non recipiendo, testatur *Bald. in l. Obseruare. §. Proficisci. q. 20. ff. de off. Proconsul.*

Adde 2. Quod dictum est de Iudice, id etiam locum habere in tabellione malè conficiente instrumenta, vt paribus modis conueniri possit, siue per dolum, siue per imperitiam egerit, *juxta l. vlt. C. de Magistratibus conueniendis.* & docet *Gl. Marg. Nova in cit. l. Filiusfamilias.*

Quæres. Vtrum pœnam huius Capituli, videlicet suspensionem ab officio incurrat Iudex, si ob imperitiam malè iudicauit, existimans tamen se rectè iudicare.

Responsio est negatiua, quia satis colligitur ex textu. *verb. Contra conscientiam. & verb. Per gratiam aut sortem. iuncta l. cit. Filius fam.* vbi dolo malo id agi dicitur, quod à Iudice gratiâ, inimicitia, aut per sortes fit.

CAPITVLVM II.

Ad Apostolicæ.

PARAPHRASIS.

Honorius III. & post ipsum Gregor. IX. Fridericum II. Imperatorem, quòd Ecclesiæ jura & immunitates inuaderet ac violaret, excommunicârunt; post verò cum ad succurrendum rebus Ecclesiæ idem Gregor. Concilium generale Episcoporum Romam conuocaret, ad nauigantes Episcopi & Cardinales ex Hispaniis & Galliis in Genuensium tîremibus capti fuerunt, & ad Fridericum adducti. Gregorius vitâ excessit, & cum ampliùs anno Romana Sedes vacasset, Innoc. IV. electus est, qui mox magnæ autoritatis nuntios ad Fridericum ablegauit, vt de pace cum ipso tractarent, ante omnia autem Cardinales, Episcopos & Clericos, quos captiuos detinebat, liberos dimitti iuberet, postea admittendam esse satis-

factionem, si quam offerret pro iniuriis & damnis Ecclesiæ illatis, sin autem negaret se Ecclesiam offendisse, sed magis iniuriam passum esse, tunc paratus erat Innoc. IV. conuocare Reges & Principes Ecclesiasticos & sæculares, qui de causa cognoscerent, ita, vt si Ecclesia Romana Imperatorem læsisse censeretur, tunc ipsi ex Consilio Synodi satisfaciendum, & sententiam, si quæ contra Imperatorem iniuste lata esset, reuocandam.

Præterea si Imperator ipsemet pro iniuriis & damnis à se illatis, facti pœnitens satisfactionem promittat, tum Innoc. quatenus cum honore suo & Ecclesiæ poterit, eam recipere, & pacem cum Imperatore & adhærentibus eius stabilire paratus erat.

Verùm cum Fridericus huiusmodi monitis acquiescere nollet & pertinacè se præberet, Pontifex Concilium generale Lugdunum conuocauit, eòque Imperatorem ad causam suam dicendam citauit, Imperator ipsemet non accessit, sed Procuratorem misit, ac Legatum, Thadæum nomine, Año Christi 1243. Qui licet eleganti sermone Imperatorem excusare conatus fuerit, tamen cum excusationem sufficientem non esse ostensum fuisset, Innoc. IV. cum Imperio & Regno Siciliæ, quod ab Ecclesia in feudum tenebat, ex Concilii assensu priuauit, quatuor allatis causis. 1. Quia periurus esset, pacem iurata inter Ecclesiam & Imperium sæpius violando. 2. Quia Cardinales, Episcopos, & Clericos ad Concil. venientes sacrilegè capi curauit. 3. Quia de hæresi euidentibus argumentis suspectus esset. 4. Quia Clericos & Laicos in Sicilia affligat, eòsq; Romanam Ecclesiam hostiliter impugnare compellat, sed & hoc annumerari posse, quòd pensionem annuam, quam ex Sicilia Regno Ecclesiæ Romanæ in feudi recognitionem pendere debet, ampliùs nouem annis soluere prætermiserit, ea propter Pontifex omnes, qui iuramento fidelitatis eidem Friderico II. obstricti sunt, in perpetuum absoluit

absoluit, prohibens insuper ne quisquam ei in posterum tanquam Imperatori, aut Regi pareat, in eos autem, qui veluti Imperatori, aut Regi consilium, auxilium vel fauorem præstiterint, excommunicationis sententiam ipso facto incurrendam decernit.

Denique addit Papa, quòd Principes ij Germaniæ, ad quos Imperatoris electio spectat, Successorem deposito Friderico liberè eligere debeant; de Regno autem Sicilia cum Cardinalium Concilio promissurum se ait.

CAPITVLVM III.

Abbate.

PARAPHRASIS.

Lis erat inter Abbatem de Bonefacto & Hospitalarios S. Ioannis super loco de Rosellis, quem Abbas pro se & cum Conuentu agens in iudicio, ad Monasterium iure dominii, aut quasi dominii una cum finib⁹ suis pertinere dicebat, ex Arragoniæ Regis donatione; ideòque petiit eum Monasterio adiudicari, & Hospitalarios inde amoueri, sed Hospitalarii litem contestantes dixerunt locum de Rosellis ad ipsos pertinere, quia Rex Arragoniæ Castrum Caruaræ cum finibus suis, intra quos locus ille erat, dudum donauerat Hospitalariis sub conditione, si à Saracenis infidelibus eriperetur, quamobrem cum talis conditio iusta & pia fuerit, & quidem impleta, quandoquidem successor Regis videlicet nepos eius Castrum & locum illum à Saracenis abstulit; stabilità autem intentione suà postea refutant Hospitalarii allegationes Monasterii, videlicet quòd Abbas & Conuentus intentionem suam haud probârunt; dicebant enim in libello, quòd locus de Rosellis Monasterio donatus fuisset à Rege, postea verò ostenderunt Regem donasse Monasterio Populeti, à quo deinde Monasterio suo donatus fuerit; neque refert, quòd Rex

Monasterio Populeti fecerit donationem sub modo seu grauamine, vt aliud Monasterium construeret, quia non ideò voluntas eius fuit, vt locus ille de Rosellis ad construendum Monasterium applicari deberet, sed vt Monasterium Populeti multis largitionibus cumulatum ex propriis redditibus Monasterium edificaret. Sed neque ea donatio, quæ à Monasterio Populeti facta fuit Monasterio ipsi de Bonefacto eidem suffragari potest, eò quòd post litem contestatam inter Monasterium de Bonefacto & Hospitalarios, & post processum in causa, contigerit, quare apparet inde, quòd dictum Monasterium de Bonefacto jus extrali donatione, si quid ei acquisitum est, in iudicium non deduxerit, quippe cum postea superuenerit, consequenter nec de eo iure sententia ferri potest, quandoquidem Iudex pronuntiat tantum super petitis, seu contentis in libello.

Vicissim verò ex parte Monasterii de Bonefacto replicatum fuit donationem illam conditionalem subsistere non posse, quia Rex ille prior successorem suum obligare non potuerit quoad ea, quæ successor industrià suà acquisiuit, ita vt propria & ab hæreditariis bonis separata censerentur. Ob stare etiam non debere, quòd obiectum fuit, donationem à Monasterio Populeti factam fuisse post litem in iudicio contestatam & processum in causa, quia sicuti in Reo obseruari solet, ita etiam actori prodesse debet, si quid iuris ipsi durante iudicii processu ante sententiæ pronuntiationem superueniat.

Ad has replicationes Hospitalarii responderunt donationem à Rege olim factam fuisse nomine Regni, & ideò successorem nepotem eius donatoris obseruare eam & implere debuisse, donationem verò, quæ à Monasterio Populeti facta est Monasterio de Bonefacto, patrocinari ipsi non posse, quia si actor ex certa & speciali causa egit, & postea alia causa seu titulus ei superuenit, non potest videri novum hunc titulum in iudicium adduxisse.

duxisse. Quare Iudex sententiam pronuntiaturus exactè considerare debet, num ex ea ipsa causa, quæ ab actore proposita est, initio ipsius fundata sit, nec ne. Secus esset, si actor egisset ex causa generali petendo rem sibi adjudicari, quia eius dominium aut quasi dominium ad ipsum pertineret, tunc enim Iudex sententiam laturus id solum considerare debet, utrum de iure, seu dominio eius constet, adeò ut tamen jus post litem contestationem supervenerit, ac proinde primitus jus verum petendi non habuerit, tamen pro ipso sententia ferenda sit, sed neque multum prodesset Reo, si in eo iudicio absolueretur, quia mox alio inchoato contra ipsum iudicio condemnandus foret; Igitur manet discrimen hoc, quòd qui generaliter intentionem proponit de dominio sibi competente, obtinere possit, etsi dominium in ipso iudicii processu ante sententiam superveniat, at verò agens ex causa seu titulo speciali obtinere non debeat, nisi intentionem suam, ex eo ipso titulo, quem expressit, demonstrârit.

Cùm itaque Monasterium de Bonefacto in petitione sua proposuerit donationem loci de Rosellis à Rege sibi factam fuisse, id autem postea non ostenderit, sed solum docuerit de donatione facta ipsi à Monasterio Populeti, quæ tamen in petitione expressa non erat, & postea primum evenit, nullum ex ea commodum Monasterium de Bonefacto reportare debet.

His ex utraque parte propositis, Cardinalis huius causæ auditor diligenter perpendit, si ex causa speciali actum sit, videlicet ex donatione, aut venditione, quòd Iudex sententiam laturus animum suum informare debeat ex probationibus productis secundum locum, tempus, aliasque circumstantias, ut appareat, num ex causa illa speciali, quam in petitione posuit actor, eius interfuerit, nec ne. Secus autem esse, si ex generali causa petitio facta fuerit, quia Dominus rei sit. Tametsi ve-

riò aliqui curiosi, qui subtilitatibus parùm vtilibus inhaerent, aliter in hac ipsa causa (si actum sit titulo nullo expresso) discurrant, tamen vtilius est ob velocitatem causæ expeditionem sequi id, quòd dictum fuit, præsertim cùm nonnulla ob communem vtilitatem contra juris rigorem ex æquitate tolerari notum sit. Sed ut ad propositum redeamus, cùm, ut dictum est, Abbas & Conuentus de Bonefacto donationem sibi à Rege factam esse, quæ causam specialiter proposuerant, minimè probârint, ideò auditor Hospitalarios ab eorundem petitione absolvit, quam sententiam Innoc. IV. ratam habuit, & Apostolicâ authoritate confirmavit.

S Y M M A R I U M.

1. *Etiâ in vindicatione rei corporalis libellus ita formari potest, ut quis dicat rem ad se pertinere jure dominii, vel quasi pertinere.*
2. *Agens rei vindicatione petit rem sibi adjudicari, & inde possessorem amoveri, ut sibi res restituatur. Cantela pro eo, qui iudicio petitorio experitur.*
3. *Terra ab infidelibus possessa donari alicui potest, sub conditione si ipsis erepta fuerit.*
4. *Donatio facta sub conditione honesta, eâ impleta purificatur & consistit.*
5. *Ecclesia aut Monasterio, quòd nondum fundatum aut extructum est, donatio fieri non potest. Potest tamen ei aliquid relinqui per modum legati, vel alterius mortis causâ facta dispositionis.*
6. *Si rex, episcopus, vel similis persona ratione dignitatis sua donationem, aliamve dispositionem, vel pactionem legitimam faciat, ea obligatur successor, non ut ex propriis, sed bonis dignitatis solvat.*
7. *Renocare tamen donationem possit successor, si per eam notabiliter status regni laederetur.*
8. *Actor rei vindicatione agens, si certum titulum expressit, quem probare non potuit, rem absolvi debet, etsi post litem contestatam*

nouus titulus accesserit, ex quo obtinere possit.

9. *Actor tamen alio iudicio ex alia causa, vel titulo experiri poterit.*

10. *Et si post litem contestatam supervenerit titulus nouus domini, pro actore pronuntiandum erit iuxta ius canonicum, non autem civile. Si quidem actor dominium, aut quasi dominium absolute tanquam actionis realis propinquam causam in iudicium duxerit, & non aliam certam.*

Notand. I. Etiam in vendicatione rei corporalis libellus ita formari potest, vt quis dicat rem ad se pertinere iure domini, aut quasi domini, si videlicet actor suspicetur iam eum, à quo causam habet, seu rem accepit, eius dominum fuisse, quia si cum bona fide & cum titulo colorato accepit, & huc vsque possedit, vsucapione nondum absoluta, competit ei publiciana in rem actio aduersus alium possessorem, qui Dominus non est. *l. ult. ff. de publiciana in rem actione.* Videri potest gloss. hic verb. *domini, vel quasi,* & quæ docui *l. 3. tract. 1. de iust. 6. 5. n. 1.*

2 Notand. II. Agens rei vendicatione duo petit, rem sibi adiudicari tanquam Domino, & possessorem inde amoueri, vt sibi res restituatur, quemadmodum in *l. Qui petitorio. 36. ff. de rei vendic. consilium datur ei,* qui petitorio iudicio experitur, vt curet ante omnia interrogari reum, num possideat vel dolo possidere desierit, ita vt pro possessore iurisdictione habeatur. Videatur hic Petrus Ancharanus post principium.

3 Notand. III. Terra ab infidelibus possessa donari alicui potest sub conditione, si ipsis erepta fuerit, sicuti enim iactum retis alicuius donare aut vendere alteri potest, ita & victoria spem. Adde si terra prius Christianorum erat, & postea ab infidelibus ipsis erepta, v.g. Hierosolimitana; absolute donari posse ab eo, qui potestatem habet, sicuti tradit Bart. in *l. Liber homo. ff. de captiuis.* Ancharan. hic. not. 7. Dominicus super hoc cap. 9. allegabatur, idque propter ius postliminii, quia si res ab hostibus erepta denuò

recuperetur, perinde esse solet, ac si nunquam capta fuisset, & semper in potestate ac dominio pristini Domini permanisset. *l. Id quod. 9. ff. de legatis. primò.*

Notand. IV. Donatio, quæ facta est sub conditione honesta, ea impleta purificatur & consistit, sicuti docui *l. 3. tract. de iust. 6. 4. n. 5.*

Notand. V. Ecclesiæ, aut Monasterio, quod nondum fundatū, aut extructum est, donatio fieri non potest, arg. c. *Ad audientiam. 5. de Eccles. adif.* Quamuis ei per modum legati, alteriusue mortis causâ factæ dispositionis aliquid relinqui possit, iuxta c. 3. *de testam.* & docet eleganter Bart. in *l. seruos. ff. de alimentis legat. Franc. hic §. allegabatur. n. 3.* quòd aliquis bona legare possit Monasterio construendo, imò etiam Monasterium vel Ecclesiam ædificandam hæredem suum instituire. Ratio discriminis traditur in *gl. l. Illud. 19. versu. sed quid dicam C. de SS. Ecclesiis.* quia donatio cum species pacti sit, requirit, vt pars altera donationem acceptet per se, vel per alterum, Ecclesia autem, quæ non est, acceptare non potest, at verò dispositio legati non requirit legatarii acceptationem, quia hæres legatum exequetur; Quare, inquit, Bart. etiam inter viuos donari alicui posset v. g. prædium, imposita ei obligatione, vt Ecclesiam exstruat, & dotet, iuxta doctrinam gloss. *incit. c. Ad audientiam. verb. non possumus.*

Porrò quòd Ecclesia construenda possit institui hæres, inde ostendi debet, quia ob benignam juris interpretationem testator in hoc casu censetur animam suam hæredem instituire, executionem verò Episcopo loci, aliisue à se nominatis executoribus committere.

6 Not. VI. Si Rex, Episcopus, vel similis persona ratione dignitatis suæ donationem, aliamue dispositionem, aut pactionem legitimam faciat, eam obligatur etiam successor, non vt ex propriis soluat, sed ex bonis eiusdem dignitatis, ita Ancharan. hic. q. 14. Franc. in §. *pro parte autem. n. 2.* vbi admonet eum Joann. Andr. hic. n. 2. quòd successor siue nepos donatoris locum de Rosellis

lis acquisuerit, tanquam Rex sub vexillis regni, & idē donationem aui implere debuerit. Ceterū si per donationem regni status notabiliter læderetur, successor eum reuocare posset, quā de re dictum est in *c. Intellecto. 33. de iur. iurand.*

7 Obiicies contra ista notanda: allegationes partis positæ in corpore Iuris non faciunt jus, sicut *gl. hic docet verb. iudicio, & gloss. marginalis in l. unica. C. quando non petentium &c.* quod ex verbis narratiuis facti non est licitum arguere, hæc autem quæ posuimus notanda, fundantur super partis narratione, ergo censeri non debent doctrinæ per jus approbatæ.

Resp. si narratio partis per compositorem, seu auctorem juris approbata videatur, tum vt juris doctrinam allegari posse, maxime si etiam communis DD. consensus accedat; id verò in proposito accidit; sicut etiam *Franc. notant. §. Sed ad hæc. in fine.*

8 Not. VII. Si actor rei vendicatione agens, certam causam, seu titulum expressit, quem probare non potuit, Reus absolui debet, tametsi post litem contestatam noua causa seu titulus dominiū actori accesserit, ex quo obtinere posset. Ratio est quia Iudex sententiam ferre non potest, nisi super eo quod petitum & super quolibet contestata est.

9 Cū itaque actor dominiū jus non generatim in iudicium deduxerit, sed quatenus sibi tunc competere aiebat ex particulari contractu, videlicet donationis factæ à Rege Arragoniæ; idē si hanc suam intentionem non probauerit, Reus absolui debet ab hoc iudicio. Veruntamen actori non obstat exceptio rei iudicatæ, quo minùs alio iudicio ex alia causa ac titulo siue is tempore litis contestatæ in prioris iudicio extiterit, siue postea supervenerit experiri possit, iuxta *l. Si mater. 11. §. deniq. ff. de except. rei iudicatæ.* Et notat hîc *Ioan. Monach. n. 13. & docui in c. 2. De libelli obligatione.*

10 Sin autem dominiū, aut quasi dominiū, tanquam causa propinqua actionis realis absolūtē in iudicium deductum fuit,

non expressâ certâ causâ. v. g. peto mihi à Titio possessore ædes dari, quia Dominus earum sum, aut quasi Dominus; & post litis contestationem titulus novus dominiū ipsi adveniat, distinguendum est inter jus civile & Canonicum, nam spectato jure civili, non potest iudex pro actore secundum eam causam seu titulum novum pronuntiare, quia non potest iudicare, nisi secundum id, quod in iudicium deductum fuit, at verò causa, seu titulus postea superveniens non fuit in iudicium deductus, nec lis super eo contestata, quia tunc non erat, ergo &c. idque sumitur ex *l. Non potest. 23. ff. de iudiciis.* & videri potest *Bald.* hanc rem benè explicans in *l. i. n. 7. C. de alienatione iudicii:* at verò secundum jus Canonicum (in quo æquitas magis, quàm juris subtilitas attenditur) sufficit, si titulus dominiū postea supervenerit, saltem priusquam in causa conclusum sit, vt iudex pro actore pronuntiare possit, sicuti hîc in text. dicitur: quia secundum benignam interpretationem, vt liti expeditior finis imponatur, censetur omne id in iudicium esse deductum per petitionem ex causâ generali, quidquid vel tunc erat, vel postea durante iudicii processu futurum sit idoneum ad dominiū translationem. Imò verò *Barr. inciv. l. Non potest,* existimat id etiam secundum jus civile sentiendum esse. *arg. l. Ultima. C. de annali exceptione,* vbi dicitur: quod is, qui libellum quendam formavit, omne jus, omnesque actiones suas in iudicium deduxisse censetur, sed facilis est responsio, quod omne id jus, omnesque actiones tunc competentes in iudicium deducat, non autem orituras, quia actio non datur, nisi jure tunc subsistente, cū sit petitio eius quod sibi debetur. Itaque nisi ad benignam Juris Canonici dispositionem confugiamus, non videtur hac doctrina defendi posse, quod etiam Pontifex indicavit, cū dixit propter æquitatem ab exacti juris regulis quandoque discedi.

¶ (o) ¶

CAPITVLVM IV.

Cùm ab vno.

PARAPHRASIS.

Si vnus Iudicum, aut arbitratorum præsentibus aliis iudicibus, aut arbitratoribus sententiam scriptam recitet, perinde censeatur, ac si ab omnibus simul recitata esset, sed necesse est, vt, qui sententiam recitat, vtatur verbo numero plurali, Nos Iudices, Nos Arbitri ita pronuntiamus, ita statuimus; licet secus sit in electione Prælati, siue per compromissum, siue per scrutinium fiat, ea enim (vt appareat esse vnicam & communem toti Capitulo) ab vno, vice omnium, id est, quasi vno Capituli ore, numero singulari proferri debet.

SUMMARIVM.

1. Duo ex tribus iudicibus, vno absente, iudicare non possunt: qui si adsit & contra sentiat, statur duorum sententiâ.
2. Ex pluribus iudicibus vel arbitratoribus sufficit, si vnus (aliis præsentibus & mandantibus) sententiam proferat, per verba tamen numeri pluralis.
3. In electionibus autem, promulgatio earum fieri potest per verbum numeri singularis, ob diuersam in iis rationem.

Adverte quod sermo sit de Iudicibus delegatis, qui in hoc arbitratoribus comparantur, quod omnes iudicare iussi sunt, *l. Sicut. 18. ff. de arbitr. l. 39. ff. de re iudicat.* Duo ex tribus Iudicibus vno absente iudicare non possunt, quippe omnes iudicare iussi sunt, sed si adsit & contra sentiat, statur duorum sententiâ. Consentit Authent. *vt Iudices non expectent, collatione g. iuncta gl. verb. sententia.*

2 Exinde dubitatio orta fuit, num omnes, aut saltem pars maior, videlicet duo ex tribus concordantes, sententiam, & quidem ex scripto proferre debeant, an verò sufficiat si vnus eorum proferat. Ad hanc dubitationem respondet Pontifex, si vnus, vel plures, qui concordant, præsentibus sint & mandent

(vel saltem consentiant ac velint) vt vnus sententiam proferat, perinde esse ac si omnes proferant. *arg. l. 1. C. de errore advocator. vbi habetur: quæ Advocatus parte præsentibus profert, quod ab ipsa parte proferri videntur.* Veruntamen vt appareat clarè sententiam, quam profert, non suam solius esse sed omnium, aut saltem maioris partis, quæ sufficere debet, idè necesse est vt numero plurali vtatur.

Excipi debet nisi sint delegati Principis, quibus subdelegare concessum est, tunc enim vnus alteri Collegæ vices suas in pronuntiando committere potest, ita vt duplici iure sententiam proferat, videlicet vt delegatus, & vt subdelegatus, atque idcirco numero singulari vti possit, seu præsens sit is, seu absens, qui subdelegauit. Ita *gl. hic. verb. oportet. Ancharan. col. 1. Franc. n. 2.*

Porro in electionibus diuersa ratio est, si quidem electio communis seu Capitularis sit nomine vnus corporis, Collegij, seu Capituli, quod saltem per maiorem partem eius representatur, iuxta *l. Quod maior. 19. ff. ad municipalem*, & idè ab vno fieri ac promulgari potest nomine eiusdem Capituli seu corporis per verbum numeri singularis. Ego meo & aliorum mihi consentientium nomine eligo Henricum, *iuxta cap. Sicut. 21. de elect. in 6.* At verò sententia à Iudicibus delegatis profertur non vt à Collegio, sed vt à singulis, prout docui *in cit. c. Sicut. in fine.*

CAPITVLVM V.

Et si.

PARAPHRASIS.

Sententia definitiua postquam scripta est ab ipso Iudice, non ab alio ex scripto recitari debet, alioquin non meretur nomen sententiæ, neque ab ea appellare opus est. Veruntamen Episcopo propter dignitatis suæ prerogatiuam honoris amplioris causa permittitur, vt sententiam à se ferendam, more personarum illustrium, per alium iubeat recitari. Vtteriùs si Iudex senten-

sententiam scriptam partibus tradit, & non coram ipsis recitari faciat; Item si Iudice non sedente, sed stante sententia proferatur, irrita est.

S Y M M A R I U M.

1. Sententia definitiva scribi, & ex scripto recitari seu proferri coram litigantibus debet.
2. Et hoc servandum etiam in arbitratorum pronuntiatione seu laudo.
3. Afferuntur aliquot exceptiones.
4. Iudex per seipsum, non per alium sententiam proferre debet.
5. Limitatur predicta doctrina.
6. Iudices sedendo iudicare debent, non stando aut exendo, alias sententia nulla est.

Et hoc non tantum intelligitur de sententia definitiva, sed etiam de cognitione causa.

- NOT. I.** Sententia Iudicis scribi debet, & ex scripto recitari seu proferri coram litigantibus, l. 2. & 3. C. de sententiis ex periculo recitandis; idemque dicendum de arbitratorum pronuntiatione seu laudo, iuxta l. 1. Cod. eod. tit. Arbitri nulla sententia est, quam scriptam edidit litigatoribus, si non ipse recitavit. Intelligitur autem hoc de sententia definitiva non interlocutoria, hoc enim sine scripto referri potest, sed tunc à Notario redigenda est in scriptum, siue in acta processus, sicut Dominicus hic notat, col. 2.
- 3** Excipitur 1. Nisi sint causæ parvi momenti, præsertim inter personas viles, quæ breviter expediri solent, ac debent. *Authen. nisi breues. Cod. eod. tit.* Veruntamen non idè quia causa summarie, & sine figura iudicii cognosci potest, v. g. Matrimonialis, aut beneficiæ, *Clement. dispendiosam. de iudiciis*, sententia non ex scripto proferri potest, ut constat ex *Clement. sapè. §. sententia, iuncta gloss. verb. in scriptis De verborum signif.*
- Excipitur 2. Quòd Episcopus inter Clericos suos in causa civili iudicans, sententiam sine scriptura ferre possit. *cap. Si quis cum Clerico. 45. c. 11. q. 1.* Id verò intelligunt aliqui locum duntaxat habere in causis minoribus, uti videre est apud *Anchar. h. c.*

Excipitur 3. Quòd in causa notoria Iudex sententiam ferre possit absque scripto, sicuti hic *Franc. notat n. 6. limit. ult.* propterea, quòd in notoriis ordo & solennitas juris non requirantur. *cap. Ad nostram. 21. de iur. iur.*

Excipitur 4. Quòd sententia interlocutoria seu super incidente causa, verbo proferri possit à Iudice, *arg. l. 8. C. de sententia ex periculo*, ubi dicitur: quòd sententiæ definitivæ ex scriptura recitari debent, ergo per sensum contrarium aliter sentiendum de interlocutoriis.

Excipitur 5. Quòd Princeps supremus cum eiusmodi solennitatibus juris positivi, adstrictus non sit, quin sententiam absque scripto ferre possit. *vti gl. hic monet. verb. illustrium.*

Not. II. Iudex sententiam per seipsum, non per alium recitare debet, sicuti etiam habetur in l. 23. C. de sententiis. ex periculo.

Excip. 1. Quòd Iudices illustres, seu in dignitate eccellente constituti per alium, cui id demandarunt, sententiam partibus ex scripto intimare possint. *cit. l. 2.*

Excip. 2. Quòd idem Episcopis concessum sit, uti in hoc c. habetur, ij enim propter dignitatis prærogativam illustribus personis æquiparantur, sicuti docet *Ancharan. h. c. colum. 2. Archidiacon. in c. statutis. c. 2. q. 1.*

Excipitur 3. Quòd consuetudine introduci possit, ut Iudice præsentente ac mandante, sententia ab alio ex scriptura proferatur, prout hic Dominicus docet *colum. 2. Franc. n. 6.* ubi ait: quòd eiusmodi solennitates per consuetudinem tolli possint. *arg. cap. ultimi de consuetudine.*

Excipit 4. Hic Francus, quòd conservatores recitationem sententiæ alteri mandare possint. *cap. ult. §. vices. de officio delegati in 6.* Item inquisitores hæreticæ pravitatis. *c. Ut commissi. 12. de heret. in 6.* Veruntamen his locis sermo est de actu jurisdictionali, seu parte jurisdictionis delegata, sicuti *gl. admonet. in cit. §. vices.* At verò recitatio ex scriptura, præsentente Iudice, nudum ministerium est, quòd Iudex per alterum, tanquam per organum suum, exhibet.

Not.

6 Notand. III. Iudices sedendo iudicare debent, non stando, aut eundo, alioquin irrita est sententia, & addit *gl. hic. verb. Sedendo*, id non tantum de sententia definitiua accipiendum esse, sed etiam de cognitione

causæ, ut colligitur ex *authens. ut ab illustribus. §. Sancimus. coll. 5. & auth. de Iudicibus. §. Sedendo. coll. 6. l. 2. §. dies. ff. quis ordo in possessionibus seruetur.*

TITVLVS XXVIII. DE ACCVSATIONIBVS RECVSATIONIBVS ET RELATIONIBVS.

Postquam de Iudicis sententia, eiusque affectu & executione actum est, subiungitur de appellationibus, quia appellatio est remedium contra sententiam, per quod effectus eius suspenditur & impeditur, sed quia cum appellatione conueniunt Iudicis recusatio & relatio causæ ad superiorem, cum etiam per has jurisdictionis Iudicis suspendatur, ideo sub eodem titulo de his tribus agitur.

SUMMARIUM.

1. Appellare est ad Maiorem seu superiorem tanquam iudicem prouocare.
2. Appellatio est duplex judicialis, & extrajudicialis. Quid utraque?
3. Recusatio, est declinatio Iudicis & jurisdictionis eius, eò quòd ex causa verisimili suspectus sit.
Debet ea fieri intra dies viginti, post libellum oblatum, ante litis contestationem; nisi post eam causa suspicionis de nouo emergat, aut cognoscatur.
4. Relatio est Iudicis in causa de jure dubitantis ad Principem missa consultatio. Modus quo fieri ea debeat.
5. Jurisdictio interea huius Iudicis quiescit, dum Princeps, vel eius successor responsum dederit.

1 Appellare aliud non est quam ad maiorem seu superiorem tanquam iudicem prouocare, Duplex est appellatio, judicialis

& extrajudicialis; judicialis appellatio definiti potest ex *Hofstiens. in Summ. hoc tit. n. 1.* jurisdictionis prioris Iudicis per inuocationem superioris rite factam suspensio.

2 Diuiditur in appellationem à sententia definitiua & appellationem à sententia interlocutoria seu quæstionis incidentis, de qua sermo est in *l. 2. ff. de appell.*

Extra judicialis autem appellatio, est prouocatio ad superiorem ob extrajudicialia grauamen quod ab inferiore inferitur, aut probabiliter inferendum timetur. Videri potest *Abb. in Rubr. huius tit. n. 1. & seqq.*

3 Recusatio est declinatio Iudicis & jurisdictionis eius, eò quòd ex causa verisimili suspectus sit *l. Apertissimi. 16. c. de iudicis. c. causam. 17. c. suspicionis. 39. de off. delegati. & d. xi de ea in D. de Iudic. ordinario concl. 37. & sequentibus.* Debet autem Iudicis recusatio hæc intra dies 20. post libellum oblatum ante litis contestationem proponi. *auth. offeratur. C. de litis contestatione.* nisi causa suspicionis post litem contestatam de nouo emergat, aut de nouo cognoscatur.

His casibus recusationi locus est, quia quæ de nouo emergunt, nouo auxilio indigent. *arg. l. de arate. 11. §. ex causa. ff. de interrogatorijs actionibus. & notat *gl. in cit. l. apertissimi. verb. recusare.**

4 Relatio est Iudicis in causa de jure dubitantis ad principem missa consultatio. Dicitur de jure dubitantis; nam si de facto dubitet, ipsemet inquirere debet, non autem superiorem consulere *l. eum quem. 79. §. iudicibus.*